MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80334-8

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR:

REIBSTEIN, TUISKO

TITLE:

DE DEIS IN ILIADE INTER HOMINES ...

PLACE:

WEIDAE THURINGORUM

DATE:

1911

Master Negative #

91-80334-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Reibstein, Tuisko, 1888-
De deis in Iliade inter homines apparentibus. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Tuisko Reibstein ... Weidae Thuringorum, Thomas et Hubert, 1911.
63 p. $23\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Leipzig, 1911.
Volume of pamphlets

356219

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-1-93 INITIALS MG4
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE DEIS IN ILIADE INTER HOMINES APPARENTIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

TUISKO REIBSTEIN
SCHAERBEEKIENSIS

WEIDAE THURINGORUM
TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT
MCMXI

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

professores Bethe et Lipsius.

Lipsiae, D. XI. M. Mart. MCMXI.

Procancellario
Brandenburg.

MARIAE REIBSTEIN
MATRI CARISSIMAE
S.

Capitum index.

Deorum colloquia Olympiaca permulta totam per Iliadem dispersa recentibus carminis partibus attribuenda esse ex Heynii temporibus, qui primus rem perspexit[1]) viri docti, quo magis in Homero interpretando versati sunt, eo melioribus confirmaverunt argumentis (cf. etiam Welcker, Ep. Cyklus II, p. 277). Quod concluserunt partim interpretati colloquia, utrum coniungi possent cum ipsis rebus humanis necne, partim enarrantes deorum mores atque minorem narrationis elegantiam. Hac via etiam novissimus deorum criticus, G. Finsler libello, qui inscribitur „Die Olympischen Szenen der Ilias" (Programm Bern 1906) progressus optimo iure, cur tandem versus illi compositi sint, in media posuit quaestione.

Deos autem omnino, non solum illa colloquia, sed deos quoque inter homines apparentes atque rebus humanis sese immiscentes a poetis inductos esse recentibus, primus, quantum equidem video, protulit anno 1876 Bischoff in XXXIV. vol. Philologi pag. 1 sq. Cum eo consentit Benedictus Niese, quod quidem pertinet ad libros N—X. Multis autem verbis huius librum „Die Entwicklung der Homerischen Poesie" inscriptum, cuivis Homeri critico satis notum, laudare sane supervacaneum est. Hodie deos in nonnullis quidem locis antiquis, etiamsi non omnibus arte cum cetera narratione cohaerere plurimi arbitrantur.

At quaestio novo eget labore. Opinione non praeoccupata ad locos ipsos accedamus.

Ni fallor, si inprimis quaeremus, utrum congruant deorum res gestae cum cetera narratione necne, optume ad finem certum perveniemus. Si discrepant, nobis erit concludendum deos postea

---

[1]) Heyne, Homer VIII, p. 802.

locis retractatis insertos esse. Saepissime critici iudicio usi aesthetico mores divinos atque rerum compositionem vituperaverunt et ex hoc ipso carmen recens esse collegerunt. At hoc argumento non nitamur: nihil aliud est nisi opinio praeoccupata recentissimum quodque carmen pessimum esse? Contra magnam dabimus operam, ut si hic vel illic deum quendam recentem esse probaverimus, in lucem proferamus, cur tandem inductus sit. Atque semper ante oculos habendum erit veri esse simillimum ut carmina ipsa per longa tempora composita atque mutata esse, ita deorum quoque res omnibus temporibus easdem non fuisse. Deos ipsos autem tractare a nostro proposito alienum est.

At eamus in medias res. Locos quos tractavi partim narrationis similitudinem, partim Iliadis librorum ordinem secutus singulis coniunxi capitibus. Cur hoc vel illud maluerim, quivis ipse facile intelleget.

I.

1.

Ac primum quidem accedamus ad illum locum interpretandum, quo Hectoris mors memoriae tradita est X 167 sq. Inter deos, cum viderint Hectorem ab Achille ter circum Ilium urbem fugatum, colloquium oritur, ille servari possit necne. Quos versus 166^b—187 recentissimos atque in hunc Iliadis librum insertos esse persuasum habeo. Omnes fere critici in hac re Naberum secuti sunt (Quaestiones Homericae p. 210 sq). Quibus causis commoti a cetera narratione separemus colloquium, breviter disseramus. Primum quidem his versibus rerum conexus interruptus est: usque ad 166^a cursus Hectoris et Achillis describitur. 166^b—187 dei colloquuntur, deinde poeta ad heroes redit. At colloquium ipsum! Cur tandem Iuppiter initio Hectorem servare cupit, si statim 183 non solum Minervae concedit, sed etiam filiam adhortatur, ut Hectorem per Achillem perdat? (*ὣς εἰπὼν ὤτρυνε* 186). Quid? 178 Minerva non ignorat fato statutum esse Hectorem vita decedere. Quod Iovi quoque notum est. At prosus aliter res se habere videtur 209 sq (psychostasia). Iuppiter enim libra usus decernit, uter mortem occumbat, Hector an Achilles? Hic igitur ne pater deorum hominumque quidem fatum scit. Deorum colloquium 167 sq et psychostasia 209 sq nullo modo in consensum redigi possunt. Denique versus ex aliis Iliadis libris sumpti hic reperiuntur: (v. Christ, Wiederholung gleicher oder ähnlicher Verse i. d. Ilias, Bayr. Sitzungsb. 1880, p. 248 sq <at *Θ* 39 sq priores sunt *X* 183 sq cf. Hentze, Anhang VIII p. 11 >), *X* 174—176 ~ *Π* 435—438, *X* 179—181 = *Π* 441—443, *X* 182—184 = *Θ* 38—40, *X* 185 ~ *B* 179,

X 186—187 = *Δ* 73—74 [1]). Praeterea is, qui colloquium non ita egregium composuit, ante oculos habuit illud libri *Π* 431 sq.

Iam ne Apollinis quidem auxilium (202—204) artius conexum videtur cum ceteris: etiam deo juvante Troianus urbe seclusus discrimen tentare cogitur. Receptus est Apollo e libris, qui antecedunt. De eis infra necessaria disseremus.

Hector (188 sq) Ilio urbe seclusus portas adipisci non potest et ter circum moenia ab hoste pertinacissimo fugatur. Quem ad cursum finiendum poeta Minervam deam facit committentem hostes: Achillem jubet consistere et persuadet Hectori (Deiphobo, Hectoris fratri carissimo, forma et voce aequa) ut arma conferat cum adversario. Eadem altero loco (276—278) Achilli hastam frustra emissam in manus reddit. At ipsius rei discriminis particeps non est. Evanuit post v. 278 omnino. Solius fuit Pelidae hostem occidere. Fueritne tandem opus „deo ex machina", ut hoc verbo utar, quaerendum est. Iovis libra Hector morti quasi dedicatus est: cur Minerva adiuvat Achillem? Hector cursu fessus longissimo, cum in urbem sese recipere non potuerit, consistere cogitur et exspectare hostem advolantem: tali modo cursum finiri posse, finitum que esse hunc quis est qui negare possit? (Contra Dietrich Mülder, *Ἕκτορος ἀναίρεσις*, Mus. Rhen. 59, p. 270). Denique illa hasta: Fieri non potuit, ut duas Achilles gereret veluti Paris *Γ* 18, Hector ipse *E* 495 et *Z* 104, Sarpedo *M* 298, Agamemno *Λ* 43, Patroclus *P* 140, Idomeneus *N* 241?

Benedictum Nieseum (E. H. P. 103) igitur sequemur ratum in librum antiquiorem Minervam a poëta recentiore insertam esse. Quod cum ille faciebat nonnullas res pristinas ejicere debebat. At valde erraremus aroitrati eum versibus quibusdam deletis novos hic et illic inseruisse; lacunas enim et difficultates inter singulos versus inveniremus. Usus certe pristino carmine novum

[1]) Tali argumento nos non semper uti posse recte docuit Carolus Rothe, Die Bedeutung der Wiederholungen für die Hom. Frage, Festschrift des französ. Gymnasiums 1890, p. 121 sq. et Die Ilias als Dichtung, p. 22 sq. Equidem ipse non ignoro ex singulis versibus repetitis paene nihil certi concludi posse, at hic omnes fere in prioribus Iliadis libris legeramus.

composuit. Versus igitur, quibus Minerva commemoratur (etiam 298 sq), illius studio attribuendi sunt, at de reliquis quicquam certum proferre non licet. Neque vero solum retractatum esse locum probari potest, sed etiam quare commotus sit alter ille poëta, ut deam adderet. At ne nimis pollicear: probari audacius dictum esset, coniecturam proferre satis habere cogor. Legimus enim 270—271 haec: *οὔ τοι ἔτ' ἔσθ' ὑπάλυξις, ἄφαρ δέ σε Παλλὰς Ἀθήνη ἔγχει ἐμῷ δαμάᾳ.* Verba Achillea. Quibus ex versibus deam ipsam adesse concludere omnino non cogimur. Conferas velim locos simillimos. Glaucus dicit de Sarpedone a Patroclo interfecto *Π* 541:

κεῖται Σαρπηδὼν . . .
τὸν δ' ὑπὸ Πατρόκλῳ δάμασ' ἔγχει χάλκεος Ἄρης·

vel *Π* 438 Iuppiter:

ἢ ἤδη ὑπὸ χερσὶ Μενοιτιάδαο δαμάσσω.

Ut his locis neque Mars ipse adfuit inter pugnantes neque Iuppiter unquam apparet apud Homerum quidem, ita e versibus supra laudatis concludere non licet Minervam in antiquiore libro ipsam apparuisse. Achilles id modo dicere vult, sese sperare fore, ut dei auxilio superior fiat. Achillis verba antiqua sine dubio esse possunt. Neque versus citati offenderent. Referrentur ad 326 sq, ubi Hector adversarii hasta feritur. Hodie autem in nostro libro quivis versum ad ipsam Minervam praesentem ejusque partes referet. Cum autem nihil aliud dea perficiat nisi ut hastam reddat dici vix potest eam Hectorem hasta Achillis vicisse. Quam ob rem ad conjecturam inclinaverim e versu antiquo 270—271 partes Minervae factas esse.

Postremi in locum inserti videntur versus recentissimi 166—187. Qua de causa commota esset Minerva ut 214 veniret, poëta explanavit tertius.

Nostra denique loci interpretatio minime in dubium vocatur vers *X* 446

χερσὶν Ἀχιλλῆος δάμασε γλαυκῶπις Ἀθήνη.

si recentior non est, tamen constat eiusdem generis eum esse cuius 270—271 (cf. *O* 614).

Quid poëta alter in fabula mutanda spectaverit, difficile intellectu non est. Hectoris magnitudinem augere, rem gestam Achillis minuere voluit; simul apud eos qui carmen audiebant, misericordia quaedam viri Trojani excitabatur.

2.

Exempla nunc afferam plura, quibus perspicuum reddatur interdum res a deo vel dea factas esse poetas epicos narravisse, etiamsi deos ipsos inter homines fuisse nullo versu legatur. *Γ* 439. Paris victus Helenae narrat:

νῦν μὲν γὰρ Μενέλαος ἐνίκησεν σὺν Ἀθήνῃ

quod nostro libro traditum non est. Paris ut fuit inferior, hostem dei alicuius auxilio vicisse sibi persuasum habet. *Λ* 362. Hector, qui a Diomede pulsus est, quamquam paene sui ipsius scientia privatur, tamen sese in suorum aciem servare potest. Diomedes autem:

ἐξ αὖ νῦν ἔφυγες θάνατον, κύον· ἦ τέ τοι ἄγχι
ἦλθε κακόν· νῦν αὖτέ σ' ἐρύσατο Φοῖβος Ἀπόλλων,
ᾧ μέλλεις εὔχεσθαι ἰὼν ἐς δοῦπον ἀκόντων.

Nunc duo loci, ubi deus quidam hominem a telo tuetur. *Θ* 309 sq:

Τεῦκρος δ' ἄλλον οἰστὸν ἀπὸ νευρῆφιν ἴαλλεν.
Ἕκτορος ἀντικρύς, βαλέειν δέ ἑ ἵετο θυμός.
ἀλλ ὅ γε καὶ τόθ' ἅμαρτε· παρέσφηλεν γὰρ Ἀπόλλων.

Λ 434 sq. In toto libro Apollo non adest inter pugnantes:

ὣς εἰπὼν (Σῶκος) οὔτησε κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐίσην·
διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄβριμον ἔγχος,
καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο,
πάντα δ' ἀπὸ πλευρῶν χρόα ἔργαθεν, οὐδέ τ' ἔασεν
Παλλὰς Ἀθηναίη μιχθήμεναι ἔγκασι φωτός.

Ο 668:

τοῖσι δ' ἀπ' ὀφθαλμῶν νέφος ἀχλύος ὦσεν Ἀθήνη.

Etiamsi loci, qui sequuntur, recentes sunt, tamen pulcherrime usum epicum praebent. *Ψ* 382 sq:

καί νύ κεν ἢ παρέλασσ' ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν
εἰ μὴ Τυδέος υἷι κοτέσσατο Φοῖβος Ἀπόλλων,
ὅς ῥά οἱ ἐκ χειρῶν ἔβαλεν μάστιγα φαεινήν.

Ψ 865:

ὄρνιθος μὲν ἅμαρτε (Τεῦκρος)· μέγηρε γὰρ
οἱ τό γ' Ἀπόλλων·

Ψ 771 sq:

ὣς ἔφατ' εὐχόμενος (Ὀδυσσεύς), τοῦ δ' ἔκλυε Παλλὰς Ἀθήνη,
γυῖα δ' ἔθηκεν ἐλαφρά, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν.
ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλον ἐπαΐξασθαι ἄεθλον,
ἔνθ' Αἴας μὲν ὄλισθε θέων, βλάψεν γὰρ Ἀθήνη.

Ex omnibus igitur quae disserui, manifestum fit atque perspicuum locis laudatis deos, Minervam, Apollinem, Martem, ipsos inter homines non fuisse, eorum vero amicitiam vel inimicitiam maximi fuisse momenti. Ut semper Iuppiter e longinquo res regit humanas, ita his quidem locis alii quoque dei. Quodsi probari posse nobis quidem videtur eos versus, quibus poëta illos deos inter homines agentes facit, additos esse libro antiquo — unum exemplum tractavimus — atque si praeterea talis dei commemoratio invenitur, quae antiqua esse videtur, nonne necessitate quadam concludere cogimur illo usu recentiores poëtas commotos esse, ut deos ipsos in humanas introducerent res? At quaestio tota Iliade nondum perlustrata matura non est, ad eam revertemur.

Iam animum vertas quaeso ad librum Iliadis *Π*, quo Patrocli res gestae atque mors proditae sunt.

3.

In versibus *Π* 692—867 interpretandis optumum critici fundamentum, ut ita dicam, 731—776 esse videntur. (cf. L. Erhardt, Entstehung der Homerischen Gedichte 1894 p. 303 sq) 731 sq Hector contra Patroclum vehitur. Is curru relicto Cebrionem, Hectoris aurigam, lapide contundit maximo. Tunc Hector quoque curru desilit ad aurigae corpus tuendum. Oritur de Cebrione

certamen acerrimum. Neque vero solum illi duo, sed etiam milites omnes utriusque exercitus atrocissimo conferuntur impetu. Quibus in mediis Cebriones jacet, cujus corpus capite Hector, Patroclus pedibus in suam partem abstrahere studet (760—764). Res venit in discrimen. Suspensi sumus inter spem et timorem. Uter victor erit? Nonne proximis versibus nobis narratum iri exspectamus ipsum Hectoris et Patrocli certamen? At multum abest. (Bernhardt, Beitrag zur Homerkritik, Verden 1873, p. 1–7, qui ceteras quoque huius loci difficultates rectissime perspexit.) Sequitur 777sq hoc: quamdiu dies erat (cf. tempus ejusdem diei Λ 84sq) erat certamen incertum, vespera Graeci superiores Cebrionis cadaver rapuerunt. 783sq Patroclus contra Trojanorum multitudinem pugnat (de versibus 784sq cf. p. 16.) Quomodo contigit Patroclo atque Myrmidonibus, ut aurigae potirentur? Ubi Hector fuit et tunc est? Estne hic, quem exspectamus finis pugnae supra diligentissime praeparatae? Initium pugnae continetur versibus 46 (731–776), at ipsum discrimen 6 (777–782). Quae se quis consideraverit omnia, concedet versus 777—782 valde discrepare a 731—776. Ergo lacuna hiat inter versus 776—777.

Iam versus 777—822. Patroclus ab Apolline sui ipsius scientia atque armis privatus a Dardano quodam vulneratur, quem Euphorbum fuisse 808—811 docent. Cum autem Patroclus pedes referre studeat in amicorum aciem, ab Hectore subito *κατὰ στίχας* apparente mortifero vulnere afficitur (de versibus 818—822 p. 15).

Quid de reliquis 823—867? 823 poeta hoc Hectoris atque Patrocli certamen cum eo comparat, quod certaverunt leo et aper de fonte parvo, e quo uterque bibere cupit. Denique leo superior fit. At re vera illi pugnaverunt, ut hae bestiae? Nonne exemplum plane ineptum videtur? Alia quoque versibus, qui sequuntur, narrata ab eis discrepant, quae tradita sunt 777—822. Hector valde gloriatur (830sq.): quod *ἄτοπον* esset, si Apollo et Euphorbus Patroclum fere necavissent, Hector autem ultimus venisset. Praeterea e versibus libri *P* 125, 187, 205sq elucet corpus Patrocli armatum fuisse (Lachmann, Betrachtungen zur Ilias 1874, p. 74).

Ergo 777—822 et 823—867 partes ejusdem narrationis esse non possunt. Conjunctae videntur versibus 846 et 849[1])—850, qui haud difficile desecari possunt. Bis Patroclus a deis sese victum esse dicit 844—845 et 849—850, qui locus toto libro retractato in Patrocli verba inserebatur.

Ita nobis occurrunt tres narrationis partes: 731—776, 777—822, 823—867, quarum media valde discrepat a priore et posteriore. Quae si concinunt, 777—822 in antiquum rerum contextum insertos esse apparet. Atque optume conjungi possunt. Nonne exemplum 823sq cum eo rerum statu concordat, quem usque ad 776 invenimus: Hector et Patroclus de Cebrione certant? Iam legimus 755sq exemplum simillimum (Ehrhardt, l. l. p. 305).

Recentes igitur versus sunt 777—817 vel 822, 846, 849—850. Mors olim ita narrata esse videtur: manibus collatis Cebriones occiditur. De ejus corpore maximum oritur certamen, uterque corpore potiri vult. Hector Patroclum vulnerat. Qui cum pedes referat in amicorum aciem, ab adversario invadente occiditur. Ita haud scio an e 818—822, quamquam retractati sunt (*κατὰ στίχας*), tamen fabula antiqua enucleari possit. Et Apollo et Euphorbus recentes sunt (*Σ* 454 et *T* 433sq iam noverunt Apollinem).

Probavimus igitur argumentis, ut nobis quidem videtur, satis dilucidis locum retractatum esse. Haud scio an non unus[2]) poëta locum in hanc formam redegerit. At hic rem, quod quidem attinet ad mutandi modum, aliter sese habere arbitror atque in loco prima hujus capitis paragrapho tractato: ibi poëta Minervam induxit, at novum carmen inter se paene concordans composuit, hic singuli versus pristini carminis cum novis commixti videntur, ita ut difficultates inter singulas rei partes

[1]) Sine dubio v. 849 antiquus esse potest: at artius cum 850 conjunctus esse mihi videtur, quam ut eum ab illo separem. Praeterea fere idem iam supra 845 dictum esse existimo.

[2]) Poeta recentior Apollinem induxit et fortasse Troianum illum (806/807 *Δάρδανος ἀνήρ*) qui ab altero poeta *Ἔύφορβος* nominabatur, ut huius certamen initio libri P cum Menelao certatum praepararetur. Lacuna enim hiat inter 807 et 808: *Δάρδανος ἀνήρ* cum *Πανθοΐδης Ἔύφορβος* vix coniungi potest (cf. p. 45).

existerent. Ibi magis e totius narrationis natura, hic e singulis versibus conclusimus versus (777—817, 846, 849—850), certe pristinos esse non posse. (Cf. de *Π* 850 etiam Kekulé Mus. Rhen. 43 [1888], p. 484.)

Versibus 844—845 poëta alter commotus esse videtur ad deum inducendum. Qui antiqui esse videntur, nam versibus 849—850 recentibus idem fere dicitur. Ut ne nunc quidem Iuppiter inter homines est, ita non fuit olim Apollo. Uterque ex longinquo res humanas rexit.

Hectoris gloria omnibus modis a poëtis posteris minuitur, contra Patrocli magnitudo augetur. Sine dubio illi poëtae nimis sese ipsos Graecos esse in animo habuerunt.

Verto nunc animum ad Apollinis res gestas hujus loci initio narratas: 698—711 primos disseram. Patroclus moenia Trojana ascendere conatus (ein fabelhaftes, kaum auszudenkendes Beginnen, C. Robert, Studien zur Ilias 1901, p. 102) ab Apolline repulsatur. Versus facile ejici possunt. Etenim nonne mirum est solum Patroclum cum solo deo de urbis moenibus certare (Lachmann, l. l. p. 73)? Praeterea certamen nondum venit ad moenia: Hector a portis rursus curru in aciem vehitur (732). Praeterea 702 sq ~ *E* 436 sq (Niese, E. H. P. p. 101) et 702—705 ~ *Π* 784—786 (cf. *Υ* 445 sq).

Iam 715—725. Hector a deo, qui forma et voce Asio aequus videtur, incitatur. Hic quoque locus non ita antiquus esse videtur: 728ᵇ—730 enim legimus deum dedisse Graecis cladem, victoriam Trojanis, id quod cum narratione a nobis restituta congruit; sine ullo dubio poëta ad pugnam spectat, quae de Cebrione erit. At potuitne dici 728 *αὐτὰρ Ἀπόλλων κτλ.*, si modo dictum erat 726 *ὣς εἰπὼν ὁ μὲν αὖτις ἔβη θεὸς ἂμ πόνον ἀνδρῶν*? Nonne sequitur e 728ᵇ deum nondum supra esse commemoratum? Quid? Num nimis audax est haec conjectura olim verba Asium dixisse ipsum? 725 ab homine rerum futurarum nescio et niso superorum auxilio majore jure dicitur quam ab ipso deo.

Versibus 728ᵇ—729ᵃ Apollo ipse adest. Intellegitur ex omnibus quae adhuc protulimus, horum versuum formam pristinam esse non posse, deinde eam ante versus 715—725

in librum venisse. Vestigium igitur exstat plures poetas carmen retractavisse: 729—730 fortasse pristinos legimus.

4.

Quarta denique paragrapho nonnullos addere mihi liceat observationes ad locos paragraphis prima et tertia tractatos pertinentes. In pristino quoque carmine me iudice deus nihil effecit. Deinde poeta recentior Minervam Achillem adiuvantem fecit, at ipse Achilles rem gessit (*X*). Protinus res processit in *Π*: deus enim rem in discrimen ducit, homo fit minoris momenti (*Π*). Quo magis partes dei crescunt, eo minuuntur hominis. Locum hominis magis magisque deus obtinet. Videmus, qua ratione deorum partes amplificentur a recentioribus poetis epicis: sola dei commemoratione poeta adducitur ad deum ipsum inducendum.

Duo exempla optima nobis occurrerunt. In tertio quoque Trojanorum carminum certamine clarissimo — Achillis scilicet cum Alexandro — rem ita sese habuisse ex his intellegimus. Nam *X* 359 Hector Achilli vaticinatur haec (cf. *Φ* 276, *T* 417.)

ἤματι τῷ, ὅτε κέν σε Πάρις καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων
ἐσθλὸν ἐόντ' ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν.

Quod nihil aliud est nisi: Paris te necabit, quem Apollo tuebitur. At posteriores poetae Alexandro gloriam huius victoriae erepturi deum ipsum ignavo sagittario apposuerunt. Apollinisque sagittis summum heroem necatum esse finxerunt. In ipsa Iliade legimus *Φ* 276 sq:

ἀλλὰ φίλη μήτηρ, ἥ με ψεύδεσσιν ἔθελγεν,
ἥ μ' ἔφατο Τρώων ὑπὸ τείχει θωρηκτάων
λαιψηροῖς ὀλέεσθαι Ἀπόλλωνος βελέεσσιν.

Quod colligi potest ex his quoque. Occurrit solus Apollo Soph. Phil. 332, Aeschyl. Fr. 350, Apollo et Paris Vergil Aen. 6, 57; Ovid. M. 13, 500; 12, 600. At Paris solus Euripid. Androm. 655. Hec. 387. (cf. Roscher, Lex. Myth. *I*, 1, 47.) Posteri igitur modo unum, modo alterum, modo utrumque afferunt. Apollinem

autem solum nunquam quis attulisset, nisi Achillis mortis ipse fuisset particeps. At res majoris momenti. Apud Homerum quidem de Achillis mortis causa haec traditum est Σ 96 (cf. etiam *I* 410 sq)

αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος

Fato enim Achilles statim moritur, postquam Patroclus et Hector vita decessit. At apud posteros duas alias causas mortis invenimus. Ac primum quidem legimus in scholio ad Lycoph. 307 (= Serv. in Vergil. Aen. *I*, 474) Apollinem necem Troili in templo suo ab Achille trucidati ultum Achillem necasse. Atque in Apollodor. Bibl. 196 (Wagn.) Apollo Achillem interficit, quod Tenem, (filium Cycni vel dei) regem Tenediorum, necavit. Apparet illas fabulas iuventas esse ad dei partes explanandas; ceterum eas apud scriptores recentissimos invenimus. Hic quoque poetae epici Graeci deo quodam usi sunt ad gloriam viri Troiani minuendam.

II.

1.

Hoc quidem capite Iliadis libros *Γ*—*H* percurremus. Ac primum quidem *Γ* 121—244. Ab Iride Helena commovetur, ut ad turrim sese conferat ad certamen singulare Paridis et Menelai spectandum. Quantum equidem video, omnes fere critici Lachmannum (l. l. p. 15) secuti, etiamsi aliis nisi argumentis hanc libri partem 121—244 recentem esse iudicaverunt atque ab altero poeta additam antiquo verborum contextui. Optimas causas Hentzium (cf. Anhang ad hunc locum), Düntzeri (Hom. Abhandl. 1872, p. 248) atque Erhardtii (Entsteh. d. Hom. Gedichte 1894, p. 46) observationibus quibusdam usum verbis expressisse arbitror: Das Auffallende der im Kampfe eingetretenen Pause der Verhandlungen zwischen Hector und Menelaus und der folgenden Waffenniederlegung wird gänzlich ignoriert, weder Helena, die von Iris darüber unterrichtet ist,

spricht sich darüber aus, noch äußern Priamus und Geronten irgendwelche Verwunderung über die überraschende Wendung der Dinge. Quae si ita sese habent, cur tandem necessarius fuerit deus, haud difficile intellectu. (cf. Finsler, Homer 1908, p. 45 et Hentze, Das Auftreten der Iris im 2., 3., 5. Gesange der Ilias. Philol. 62, 1903, p. 334). 116—117 praecones mittuntur Troiam ad Priamum arcessendum; qui 245 sq. foedus, quod Menelaus et Paris inituri sunt, nuntiant. Usque igitur ad hoc tempus senes Troiani — dum de viris Graecis cum Helena colloquuntur — nihil harum rerum sciebant. Poeta quidam in animo habuit teichoscopiam in hunc librum inserere. A quo Helena certior fieret de se ipsa certamen statim factum iri? Dea poeta nuntia facile utitur. Exemplum invenimus dilucidum, ex quo intelligatur deum inductum esse ad varia carmina retractata inter se coniungenda. Cuius rei non solum unum exstat exemplum, sed statim nobis occurrent plura.

2.

At certamen singulare ipsum. Foedere sacris jure jurando perfecto sorte decernitur, (315 sq), uter hastam mittat prior. Quod Paridi contingit (325); armis induit sese his: ocreis, lorica, scuto, gladio, galea, una hasta. Eisdem armatur armis Menelaus. Incipit certamen ipsum (346). Hasta viri Troiani hostis scutum perfodere non potest: 348

οὐδ' ἔρρηξεν χαλκός, ἀνεγνάμφθη δὲ οἱ αἰχμή
ἀσπίδ' ἐνὶ κρατερῇ.

Alter telum jaculatur Menelaus. Quamquam percutitur et scutum et lorica Paridis, tamen hic propter exercitationem multis certaminibus paratam non vulneratur. Frustra hasta emissa Menelaus (361 sq) gladio illius galeam caputque quatere studet. At res male evenit: gladius perfringitur. Omnibus telis orbus est, ut ipse ait 367:

νῦν δέ μοι ἐν χείρεσσιν ἄγη ξίφος, ἐκ δέ μοι ἔγχος
ἠίχθη παλάμηφιν ἐτώσιον, οὐδὲ δάμασσα.

Nihil aliud restat, cum alia tela ei non praesto sint, nisi manibus ipsis uti: hostis galeam arripit. Qui ipse aggredi non potuisse videtur oppressus a Menelao, hoste celerrimo. Atque tunc galeae habena Paridis fauces constrictae essent, nisi lorum ruptum esset a Venere, ut ait poëta. Quae dea praesens non est, e longinquo eum tuetur, quem amat. Ad hoc confirmandum exemplum e libro *O* 461 sq sumptum hic addam. Iuppiter Teucri arcum frangit: 463

ὅς οἱ ἐϋστρεφέα νευρὴν ἐν ἀμύμονι τόξῳ
ῥῆξ' ἐπὶ τῷ ἐρύοντι.

Ergo illud quoque exemplum est illius usus epici, de quo supra nonnulla disserui (p. 12). 378 rerum status hic est. Neuter vulneratus, Menelaus telis orbus est. Paris autem, etiamsi galeam jam non habet, tamen scutum et gladium. Si autem quaerimus, utrius res peius sese habeant[1]), equidem putaverim Menelai. Sequitur 379:

αὐτὰρ ὁ ἂψ ἐπόρουσε κατακτάμεναι μενεαίνων
ἔγχεϊ χαλκείῳ (*Μενέλαος*).

Unde tandem habet hic *ἔγχος χαλκεῖον*? Nonne supra narratum legimus eum unica hasta projecta jam ipsis manibus usum esse? An Paridis hastam adhibuit, quae in scuto pendebat et cujus ferrum recurvatum erat? (348). Quid? si amicus alteram ei porrexisset — nihil audimus — nonne hoc ipso foedus gravissime esset laesum? Mea igitur sententia haec difficultas, quam quemque intellecturum esse arbitror, alia via solvi non potest nisi hac: lacuna hiat inter 378 et 379 sq, usque ad versum 378 pristinum nobis exstat certaminis carmen. 379—380a comperimus, qua causa commota mater divina filium e certamine domum servaverit. Versus igitur 379—380 cum eis, qui sequuntur, artissime conexi sunt. Quo adducimur, ut totum finem narrationis 379—461 e contextu pristino desecemus. Olim Paris a Venere neque servatus neque domum translatus est.

Cur retractatum est carmen pristinum? Quis fuit finis certaminis singularis? Paridem necatum esse verisimile omnino

[1]) Quod quidem pertinet ad arma: Paris gladium habet!

non est. Antiquissima enim fabula ab eo Graecorum virum periculosissimum, Achillem, prope portas Scaeas sagitta interfectum esse. Haud scio an res in dubio fuerit, uter victor esset. Quam ad quaestionem revertemur in libro *Δ* interpretando. Rem Alexandri non ita malam fuisse 378 jam supra ostendimus. Hoc dici potest: in campo tunc est et certe mansit. At nonne scimus eum in libro *Z* — id est eodem die — domi esse? Nunc venimus ad rei cardinem. Cum poëta quidam, qui nostram composuit Iliadem, librum *Γ* cum carmine, quod inscriptum est, *Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλία*, conjungere sibi proposuisset, difficultatem initio narrationis Alexandrum in campo esse, fine domi in arce Troiana ita effugit, ut Venerem induceret. Qua causa commota dea apparuerit, versibus 379—380a narravit.

Neque vero solum libri *Γ* et *Z* tali modo cohaerent, sed etiam ceteri *Δ E H* et inter se et cum *A*.

3.

Deorum colloquium *Δ* 1—84 recens est. In eo enim is rerum status proponitur, quem fine libri *Γ* legimus. Cur compositum sit, rectissime intellexit G. Finsler (Das 3. und 4. Buch der Ilias, Hermes 1906, p. 426 sq): . . . die olympische Szene im Beginn des *Δ*, ut ait idem criticus alio loco (Die Olymp. Szenen der Ilias, p. 1 sq), die erklären soll, warum trotz dem Versprechen des Zeus (*A*), die Troer zu unterstützen, Diomedes seine Erfolge erringt. Minerva, a patre missa, Pandarum Lycium incitat, ut telum mittat in Menelaum. Hae divinae partes separari non possunt ab illo deorum colloquio. Quo omisso quis est, qui intelligat, cur illa primum adhortetur Pandarum, deinde (127 sq) tueatur Menelaum?

A versu 105 usque ad 222 pristinus certaminis finis traditus esse videtur. Ultimum versum primae partis *Γ* 378 esse probare conati eramus. Media autem narratio evanuit. Pandarus, priusquam certamen anceps ad discrimen adductum est, haud scio an sese immiscuerit.

Jam duos locos difficultates quasdam praebentes paucis verbis tractem. Ac primum quidem 95sq:

πᾶσι δέ κε Τρώεσσι χάριν καὶ κῦδος ἄροιο,
ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Ἀλεξάνδρῳ βασιλῆι. . . .
αἴ κεν ἴδῃ Μενέλαον ἀρήιον Ἀτρέος υἱὸν
σῷ βέλεϊ δμηθέντα πυρῆς ἐπιβάντ' ἀλεγεινῆς.

Mea quidem sententia „videre“ illud non tam referri potest ad *πυρῆς ἐπιβάντ' ἀλεγεινῆς* — nam id Paris numquam videre potest Menelao concremato in ipsis Graecorum castris — quam ad *σῷ βέλεϊ δμηθέντα.* Nonne Minerva scit Paridem domi esse, in arce Trojana? Adestne hic in campo, ut supra jam conjecimus? At si his versibus eum inter amicos versari proponitur, locus olim pars divinae orationis haud scio an non fuerit. Immo Laodocum verba ipsum dixisse putabimus. Hactenus de his versibus. Alter locus 127sq:

οὐδὲ σέθεν, Μενέλαε, θεοὶ μάκαρες λελάθοντο
ἀθάνατοι, πρώτη δὲ Διὸς θυγάτηρ ἀγελείη,
ἥ τοι πρόσθε στᾶσα βέλος ἐχεπευκὲς ἄμυνεν.
ἡ δὲ τόσον μὲν ἔεργεν ἀπὸ χροός . . .

129 in contextum non quadrare persuasum mihi habeo. Ex eo enim concludendum est, Minervam ante Menelaum stantem hostis sagittam arcuisse (*ἄμυνεν!*). At versibus, quos deinde legimus, eius vim modo lenit. Praeterea verborum constructio *ἥ τοι . . . ἡ δὲ* non ita elegans est. Versus 129 insertus est, cum Minerva praesens inducta esset. Nam 127, 128, 130 dei e longinquo virum tuentur. Hic quoque conjectura stare potest versus *Γ* 374 et *Δ* 127sq pristinos esse, cum majores partes deorum praesentium e libro desecare potuerimus.

Alterum igitur initio hujus libri exemplum datum est poetas deis usus singulas partes epicas ad maximum carmen conjunxisse.

4.

Carmen illud pulcherrimum, quod *Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλία* appellamus, *H* 7 finitur. Paridem, cujus prisca magni-

tudo e nostra Iliade jam non intellegi potest, Hector arcessivit ad Trojanos servandos, qui initio libri *Z* in periculo haud ita parvo versantur. Nonne exspectamus illum maximas gesturum esse res? At multum abest. Unico interfecto Graeco *H* 8sq Paris non jam apparet. Sequitur contra *Ἕκτορος καὶ Αἴαντος μονομαχία* (de hoc certamine cf. Deeke, De Hectoris et Aiacis certamine singulari, Diss. Göttingen 1906). At in pristino carmine alia res secuta esse videtur: Hector ab Achille, a Paride Achilles interficitur. (E. Bethe, Hectors Abschied. Verh. d. Kgl. sächs. Ges. d. Wiss., Phil.-hist. Kl. XXVII, 1909, p. 413sq: Robert, l. l. p. 257.)

H 17—43 deorum colloquium quoddam occurrit. Convenit Apollo cum Minerva. Dei constituunt militum pugna finita certamen instituere singulare Hectoris atque Graeci cujusdam praestantis. Ad conjungendum igitur Hectoris et Aiacis certamen 44sq cum fine alterius carminis — *H* 7 hos versus *H* 17—43 compositos esse perspicuum est. 8—16 Minerva commota est, ut ab Olympo monte in terram descenderet.

Satis intelleximus colloquii naturam atque compositionem primorum versuum hujus libri. Quo de ipso, cujus interpretatio summas praebet difficultates, in hac quaestione plura proferre nostra non interest. At paucis verbis de 43sq sententiam meam edam. Nam colloquium 17—43 non solum a *H* 1—7 separare possumus, sed etiam lacuna probatur inter 43 atque 44sq.

Primum haeremus in 44 *τῶν δ' Ἕλενος;* poëta dicere vult „eorum“, id est hominum (cf. Deeke, p. 8–9: „Denique ut Eduardus Schwartzius me monuit vss. 44 et 45 conjungi non possunt, nam *τῶν* et *ἥ ῥα θεοῖσιν ἐφήνδανε μητιόωσιν* inter se pugnare videntur.“ Apparet Schwartzium tali interpretatione difficultatem in versus inferre.) At versibus, qui antecedunt, de deis dixerat poeta. *Τῶν δέ,* cui antecedit *ὣς ἔφατ', οὐδ' ἀπίθησε θεά, γλαυκῶπις Ἀθήνη,* mihi quidem in aëre pendere videtur. *Ἕλενος σύνθετο βουλήν* consilium deorum percepit vel animadvertit. Quomodo Helenus, quid vellent dei, certior factus est? Hoc loco dici debuit, quomodo regerent Minerva et Apollo Helenum. 53 ad

conjungendum 37—42 cum 44sq insertus esse videtur. Summum autem est Helenum plura dicere (52) quam ipsos deos. Mihi igitur lacuna patere videtur inter 43 et 44. 53 et 58—60a alienae partes conjunguntur.

5.

Iam libri *Δ* et *E*. Graeco exercitu ab Agamemnone perlustrato manus conferunt Graeci et Trojani *Δ* 422sq. Quod pluribus exemplis e natura haustis poëta exornare studet. Atque legimus 439sq.

ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη
Δειμός τ' ἠδὲ Φόβος καὶ Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα.

Quod attinet ad deos in his versibus, nihil vituperandum est. Nulla alia de causa inducuntur, nisi ad hunc exercituum congressum exornandum. Usus est ille epicus. Ipsi hominum forma induti inter milites non adsunt. At paulo post alteri versus nobis occurrunt 507sq Phoebus Apollo amicos fugituros incitat atque adhortatur Achillis ira commemorata. Quae pars composita est ab eo, qui Iliadem nostram Achillis ira[1]) usus composuit. Recentes igitur videntur 507—516 arte inter se cohaerentes. Summi autem momenti est: hic quidem dei ipsi inter homines adsunt. Hanc quaestionem mihi fuisse proferendam in libri *E* interpretando manifestum fiet atque perspicuum.

Huius libri initio causa primum profertur, cur fieri potuerit, ut tantas Diomedes res gereret. Minerva viro fortitudinem praebuit atque vires (*E* 1—8). Sequitur 9—29a certamen cum Daretis filiis, quorum alter Phegeus mortem occumbit, alter Idaeus sese in amicorum aciem (cf. 28) servare potest; nam,

---

[1]) In primo Iliadis libro Iuppiter Thetidi promiserat sese ad Achillis honorem restituendum Troianis magnas victorias praebiturum esse. At libris *Γ Δ E Z* clades Troianae et victoriae Graecae traditae sunt. Hic pristinus rerum contextus esse non potest. Carmina a se aliena coniuncta esse videntur. Is qui hanc compositionem fecit hic et illic Achillis iram commemoravit, ut *A* in memoriam auditorum revocaretur (cf. E. Bethe, l. l. p. 414/15, Düntzer, Hom. Abh., p. 234sq).

ut poëta fingit, Vulcanus (23) eum tuitus est. Trojani perturbantur. 29b—36 postea in hunc contextum insertos esse diu a criticis intellectum est (Bergk, Griech. Lit. I, p. 576, Düntzer, Homer. Abh. p. 255, Bischoff, l. l. p. 10, quos alii multi secuti sunt). Minime in totum locum quadrant. 29a artissime sensu cum 37sq conexus est. 29sq Minerva et Mars commemorantur. Atque hic perterritus videtur — nam nihil respondet — Iovis ira, de qua supra nihil dictum legimus, et ex pugna educitur ut puer a sorore.

Diomede satis descripto poëta animum ad proelium vertit, quod circum illum exarsit, ut ante oculos habeamus majorem picturam, ut ita dicam. Res gestae enarrantur Agamemnonis 38sq. Idomenei 43sq, Menelai 50sq, Merionis 59sq, Antenoris 69sq, Eurypili 76sq. 85 autem ad Diomedem revertimur. Inter hostes saevit atque furit vehementissime et crudelissime. At brevi post vulneratur a Pandaro Lycio *κατὰ δεξιὸν ὦμον* (95sq). Vir, ut est iratissimus, Minervam deam orat, ut sibi contingat, ut hostem ulciscatur (115—120). In 121, 122 nihil offendit, at eo plus in ipsa deae oratione 123—133, quae omnino non responsum esse potest ejus, quod ille oraverat (Hentze, Anhang II, p. 68). Precatus est 108:

δὸς δὲ τέ μ' ἄνδρα ἑλεῖν καὶ ἐς ὁρμὴν ἔγχεος ἐλθεῖν

qua de re Minerva 122sq nihil respondet, sed de aliis: inprimis de superis, quibus ille non resisteret, una excepta Venere. Qui versus minime in nostrum locum quadrant. Optimum responsum, quod idoneum esset ad virum confirmandum, continetur 121—122. Iterum igitur exspectamus Pandarum congressurum esse cum Tydida. Atque re vera 166—273 certamen singulare Pandari — Aeneae cum Diomede praeparatur. Quod ipsum legimus 274—310: interficitur Lycius, Aeneas in summo versatur periculo. Summum hujus libri partis 1—310 hoc certamen est. Sumus nunc quasi in rerum acumine. Revera nobis narratum est, quod *Διομήδους ἀριστεία* appellari possit. Nam hic omnium rerum gestarum cardo est. Vicit solus duos heroes minime contemnendos. Graeci superiores sunt.

Nunc quidem omissis versibus 311—318, 330—469 interpretemur alteram pugnae partem 471—710. Sarpedo Hectorem ad pugnam incitat, quorum virorum uterque infra maximas aget partes. Atque Trojani fuga desistunt et Graecis incipiunt resistere, quorum victoria dubia fit (493sq). Versus qui sequuntur 506b—518 minime concordant cum cetero rerum statu (cf. Haupt apud Lachmannum, l. l. p. 107 et C. Robert, l. l. p. 184). Noctem a Marte effectam quicquam impedivisse infra nullo versu legitur. Qui deus ceterum hoc quoque loco Apollini paret neque ipse agere audet. Et Aeneas? Nonne exspectamus cognitis versibus 513—516, quibus multis verbis ejus et vis et audacia et fortitudo laudantur, eum gesturum esse res admirabiles? At multum abest: fugit Menelaum et Antilochum. Ergo 506b—518 quoque postea inserti esse videntur.

Graeci Trojanos sustinent, in primis ante ceteros excellunt

519: *τοὺς δ' Αἴαντε δύω καὶ 'Οδυσσεὺς καὶ Διομήδης.*

Nonne miramur jure atque merito Diomedem ultimum quasi fortuito inter ceteros viros enumerari, cum primas partes egerit in priore proelii parte? Agememno deinde 529sq Graecos adhortatur. Aeneas duobus hominibus minimi momenti interfectis cadavera rapere non ausus fugit Menelaum Antilochumque advolantes, qui amicos ulcisci cupiunt. Diomedes non apparet. Causam legimus 592—607. Cum Marte pugnare repudiat. At cur non resistit ceteris, Hectori et militibus? Latere videtur usque ad 710, quo versu narratio certaminum humanorum desinit. Qui locus 592—607 hac de causa pristinus esse non videtur. Poeta enim respicit ad locos recentes, qui antecedunt 592—596 ad 506—518, 596sq ad 123—133. Sequitur Sarpedonis et Tlepolemi certamen singulare et *Ἕκτορος ἀριστεία* 689sq. A Troianorum duce Graeci fugantur, cui Martem adsistere poëta fingit.

Licetne hanc quoque partem 471—710 recte *Διομήδους ἀριστεία* appellare? Nonne vidimus certamen illud singulare — Aeneae — Pandari contra Diomedem — summum esse prioris libri partis? Estne idem Aeneas qui ante fuit? Nonne timidior videtur in his

versibus? Mea igitur sententia duo nobis exstant carmina vel fragmenta epica libro Iliadis *E* conjuncta: Alterum: Carmen Diomedeum — certamen singulare — Graecorum victoria; alterum: Carmen in Hectoris gloriam compositum — Trojani vincunt. Quis autem fuit finis carminis prioris? Ex omnibus, quae de tota compositione disserui, quivis exspectabit Pandaro interfecto tunc alterius quoque adversarii morte summam adepturum esse gloriam Diomedem. Qui esset idoneus finis, summa gradatio diligentissime praeparata atque a nobis exspectata. 260 Diomedes Sthenelo aurigae haec mandat

αἴ κέν μοι πολύβουλος 'Αθήνη κῦδος ὀρέξῃ
ἀμφοτέρω κτεῖναι, σὺ δὲ τούσδε μὲν ὠκέας ἵππους
αὐτοῦ ἐρυκακέειν. . . .

310 Pandarus jam non inter vivos versatur. 319sq Sthenelus equos abducit. Haud scio an loco versuum 311—318, quos nunc legimus, Aeneae mors fuerit. Nam hos versus pristinos non esse infra demonstrare conabor.

Nunc quales fuerint in utraque parte desectis versibus recentibus dei eorumque res gestae, paucis disseram verbis. Siquid video, dei non aliter inducuntur atque eis locis, quos supra collegimus: e longinquo res humanas regunt. Quae commemorationes non offendunt atque artissime in tota narratione haerent.

1sq: *ἔνθ' αὖ Τυδεΐδῃ Διομήδεϊ Παλλὰς 'Αθήνη*
δῶκε μένος καὶ θάρσος κτλ.

121—122: *ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε Πάλλας 'Αθήνη,*
γυῖα δ' ἔθηκεν ἐλαφρά, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν.

290: *ὣς φάμενος προέηκε· βέλος δ' ἴθυνεν 'Αθήνη.*

atque in altero carmine

561sq: *τὼ δὲ πεσόντ' ἐλέησεν ἀρηίφιλος Μενέλαος,*
βῆ δὲ διὰ προμάχων κεκορυθμένος αἴθοπι χαλκῷ,
σείων ἐγχείην· τοῦ δ' ὤτρυνεν μένος Ἄρης
(τὰ φρονέων, ἵνα χερσὶν ὑπ' Αἰνείαο δαμείη

at valde deus erravit: Aeneas fugit. versus additus est ad explanandum, cur Mars incitaret Menelaum).

676: *τῷ ῥα κατὰ πληθὺν Λυκίων τράπε θυμὸν Ἀθήνη.*

699 sq: *Ἀργεῖοι δ' ὑπ' Ἄρηι καὶ Ἕκτορι χαλκοκορυστῇ*
. . . . . ἀλλ' αἰὲν ὀπίσσω
χάζονθ', ὡς ἐπύθοντο μετὰ Τρώεσσιν Ἄρηα.
ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξαν
Ἕκτωρ τε Πριάμοιο πάις καὶ χάλκεος Ἄρης.

(Ad hunc locum conferas velim *O* 636 *Ἀχαιοὶ θεσπεσίως ἐφόβηθεν ὑφ' Ἕκτορι καὶ Διὶ πατρί*) Hector victor est Graecorum. Victori semper deus quidam adsistit. Hic legimus *Ἕκτωρ καὶ χάλκεος Ἄρης*, aliis locis nobis occurrerat: *Ἕκτωρ καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων* vel *Πάρις καὶ Φ. Α.* Atque 564: Mars etiam Menelao, viro Graeco, fortitudinem dedit.

Quid autem concludendum est ex omnibus, quae adhuc de libro *E* perspeximus? Ac primum quidem: duo exstant carmina vel fragmenta. Deinde in his partibus recentes versus inveniuntur, quibus dei ipsi inducantur. Qui versus omnes artissime et rebus et moribus deorum cohaerent inter sese atque cum 311—318, 330—469, 711—909. Sequitur igitur has quoque narrationes recentes esse. Quod melius intellegitur si disseremus, cur tandem compositae sint. Si quid video poëta quidam eis usus est, ad carmina illa et inter se et cum libris *Δ* et *Z* conjungenda, quod nunc verisimile reddere meum est. Mars apud Trojanos exercitum incitat (*Δ* 439). A recenti poëta praesens putatur. Ut autem in libro *E* fieri possit, ut Diomedes adversariis superior fiat, ille deus a Minerva — nunc quoque praesenti — e pugna educitur (29—36). Deinde 123--133 explanatur, cur vir in Venerem irrumpere audeat, contra Martem vereatur (592—607). Quibus verbis dictis Minerva in Olympum sese confert. Finem carminis in majorem Diomedis gloriam compositi non alium fuisse nisi Aeneae interitum supra protulimus. At cum Trojanus in altero carmine vivus in amicorum acie certaret, eum servari opus fuit (311—318, 330—353). Cum Venus a Diomede vulneraretur, Apollo Aeneam abstulit atque sanandum curavit per matrem et sororem suam. Deus deinde Diomedem in se irrumpere ausum esse iratissimus belli deum incitat ad Trojanos adjuvandos. Quod Phoebus ipse facere non potest Martis partibus a poëta recenti in altero carmine repertis (454—469). Praeparatur victoria Trojana. 506—518 Mars amicis adisistit, quod tunc facere potest, quia Minerva non adest. Aeneas sanatus redit. Cur Diomedes in hac libri parte cum ceteris fugiat, ex 592—607 comperimus. Di ceteris locis recentibus 711—909 pristini esse non possunt. Initio libri *Z* Trojani a Graecis urgentur, cum fine hujus libri superiores sint. Deus igitur, cui victoriam illi debebant, e pugna depelli debuit.

Omnes res gestae deorum arte inter se cohaerent, etiamsi hic vel illic paucae difficultates inveniuntur. Quod facile declarari potest eo, quod poëta in conjungendo atque denuo componendo in angustiis quibusdam fuit. Duobus commixtis poëta quidam novum componere studuit in majorem Diomedis gloriam. Gradationem quandam in narratione Aeneae certaminum, quibus vel contra superos progreditur, exstare negari non potest.

Desectis deorum majoribus partibus commemorationes quaedam et Martis et Minervae inveniebantur, quae vituperari neque ejici poterant, quaeque deos e longinquo aliquid efficientes praebebant. Veri igitur simillimum est, ex his versibus deorum partes derivatas esse. Ita modo comprehendimus, cur non Apollo ipse, immo Ares Trojanos adjuvet (454—469).

III.

1.

Trojanus exercitus Hectore duce per muros in Graeca castra summa vi irrupit (*M*). Initio autem libri *N* Iuppiter in Ida monte sedens oculos a pugna vertit. Quo tempore usus Neptunus, cum Samo cladem Graecam viderit, commotus misericordia amicos ipse adjuvare constituit (*N* 1—16). Versibus, qui sequuntur (17—38) descriptum legimus, quomodo Neptunus Aegis ad

antrum inter Tenedum et Imbrum insulas situm equis vectus in castra Graeca ad milites adhortandos sese contulerit. Ac primum quidem Calchantis specie indutus utrumque Ajacem incitat *μεμαῶτε καὶ αὐτώ* (45 sq.). Quid autem Neptunus dicit? Nihil aliud nisi quod illi viri ipsi sciunt. Eos enim ibi resistere debere, ubi Hector contra Graecorum aciem saeviat. Utrique autem membra roborat. Deum fuisse quendam, non vatem ipsum Aiax Telamonius recte perspicit (67 sq). At si quaeras, perficiantne Aiax uterque tantas res, quantas viribus eorum adeo auctis exspectamus, frustra librum perlustres. Non ita excellunt ante alios et si quid revera faciunt auxilio divino neque egent neque utuntur (169 sq., 809 sq.) (Bischoff, Über die Homer. Götterdichtung. Phil. 34. 1876. p. 20. Von der Wirkung Poseidons auf die beiden Aias (67—80) ist nachher nichts zu bemerken, noch weniger bei Idomeneus (namentlich 510 ff., wo es heißt, daß ihm die Knie wankten) wenn nun diese Helden nichts tun, was nicht aus ihrem Heldentum zu erklären, wozu der göttliche Impuls? Was würden sie ohne diesen sein? Memmen etwa? Bergk, Griech. Lit. *I*, p. 607 sq; Jacob, Über die Entstehung der Ilias und der Odyssee, 1856, p. 268 sq).

Deinde Neptunus post aciem eos incitat, qui longo labore fessi et clade valde commoti pugna destiterunt atque longam deus habet orationem. 82—125. Quo fit, ut Graeci rursus fortiter resistant. Pugna anceps fit. Trojani jam non procedere possunt. Usque ad versum 205 Neptunus non invenitur.

Jam 205—239, qui locus jam priores criticos valde offendit. (Hentze, Anhang V, p. 17—18; Jacob, l. l. p 268 sq.) Hector Amphimachum, Cteati filium, necavit. Quam obrem Neptunus summa commovetur iracundia 206 sq. Quid autem facit deus iratissimus? Idomeneum, qui in castris post aciem versatur, adhortatur. Haec est dei iracundia! Atque Idomeneus summo periculo navibus imminente in castris otiosus est; nihil aliud spectat nisi ut amicum vulneratum a medicis sanandum curet. Armis iam non vestitus est. Quid? Neptunus eum cohortatur, ut redeat in aciem (232 sq), id quod vir ipse studet (214).

Neglectis quattuor locis (434 sq, 554 sq, 677), — de eis infra necessaria proferemus — ubi Neptunus quasi fortuito commemoratur, in toto libro *N* nihil de deo narratum legimus. Omnino latet. Idomeneum jam non tuetur, cum ejus genua tremant (510 sq) neque impedit, quin Hector Trojanis ad novum impetum collectis (673 sq) Graecos initio libri *Ξ* rursus profliget.

Apparet igitur Neptuni adventum tot versibus enarratum discrepare ab eis, quae faciat. Quaecumque fiunt, per se sine ejus auxilio quoque fieri potuissent neque ille apparet, ubi opus est. Omnino partes dei cum ceteris rebus artius conjunctae non videntur.

Quae cum ita sint, conjectura sane probabilis videtur Neptunum postea insertum esse in haec certamina atque a poeta recenti totam pugnam de navibus certatam retractatam et auctam esse. (cf. Bischoff, l. l. p. 20; Niese, l. l. p. 97 in primis 101.)

Jam si illos quattuor locos adhuc omissos accuratius animadvertimus, 677 sq minus nostra interest.

τοῖος γὰρ γαιήοχος ἐννοσίγαιος
ὦτρυν' Ἀργαίους, πρὸς δὲ σθένει αὐτὸς ἄμυνεν.

Poëta respicit ad res a deo huius libri initio perfectas. At ceteri tres loci:

434: *τὸν τόθ' ὑπ' Ἰδομενῆι Ποσειδάων ἐδάμασσεν*
θέλξας ὄσσε φαεινά, πέδησε δὲ φαίδιμα γυῖα (*Ἀλκάθοον.*)

554—555: *Ἀντιλόχου· πέρι γὰρ ῥα Ποσειδάων ἐνοσίχθων*
Νέστορος υἱὸν ἔρυτο καὶ ἐν πολλοῖσι βέλεσσιν.

562—563: *ἀμενήνωσεν δὲ οἱ αἰχμὴν*
κυανοχαῖτα Ποσειδάων, βιότοιο μεγήρας.

Qui loci ejusdem generis sunt cujus ei, quos supra (I. 2) tractavimus: a vero valde aberraremus, si ex eis Neptunum ipsum adfuisse concluderemus. Quod ad perspicuum reddendum similes afferam locos, quibus Iuppiter, qui nunquam ipse apud Homerum inter homines apparet, rebus humanis e longinquo sese immiscuit. Ad primum locum conferas velim *Π* 438:

ἦ ἤδη ὑπὸ χερσὶ Μενοιτιάδαο δαμάσσω.

Ad secundum *Y* 194:

ἀτὰρ σὲ Ζεὺς ἐρρύσατο καὶ θεοὶ ἄλλοι.

Ad tertium denique *O* 461:

ἀλλ' οὐ λῆθε Διὸς πυκινὸν νόον, ὅς ῥα φύλασσεν
Ἕκτορ', ἀτὰρ Τεῦκρον Τελαμώνιον εὖχος ἀπηύρα,
ὅς οἱ εὐστρεφέα νευρὴν ἐν ἀμύμονι τόξῳ
ῥῆξ' ἐπὶ τῷ ἐρύοντι.

Possunt igitur hi loci (*M*) jure a ceteris Neptuni partibus initio libri traditis disjungi et separari. Praeterea hic Neptunus non milites adhortatur longis orationibus, sed re vera pugnae particeps est atque artissime cum cetera narratione conexus. Non parvi autem momenti esse mihi videtur locos omnes inveniri in media hujus libri parte 361—672, quibus versibus pugna sinistrae aciei describitur. Idomenei aristiam eam optimo jure nominaverit quis. Quae omnia cum ita sint, ad conjecturam inclinaverim — conjecturam me proferre non iguoro — ex illis tribus locis majores dei partes esse derivatas.

Si recte concludimus, Neptunum recentem esse, fere tota prima libri pars pristina esse non potest: Versus, quibus deus commemoratur 1—125, 206—239, 345—360; cum eis versus arte conjuncti sunt, quibus continetur colloquium Idomenei et Merionis 240—329 eorumque adventus in aciem 330—344; de 126—205 infra disseram. Denique nostrum est paucis quidem verbis tractare, quid is, qui Neptunum inseruit, in animo habuerit. Fine libri *M* Graeci fusi atque fugati ad castra pedes rettulerunt. Versibus *N* 125—205 atque 361—672 eos fortiter resistere et paene Troianis superiores esse legimus. Sive hi versus jam ante eum, qui nostrum librum *N* composuit, cum epinausimachia conjuncti erant sive ille conjunxit, id certe spectans composuit Neptuni partes, ut Graecorum verisimilis fieret defensio. Nescio Jove adjutor accedere debebat: quam ob rem pater deorum hominumque oculos a campo Troiano avertit (cf. deorum concilium initio libri *Θ* narratum) *N* 3 sq, id quod non ita sollerter inventum est. 43—125 certamen medium praeparatur: Aiax et turba circum eum glomerata (125—205). Qui versus non a nostro poëta

compositi esse videntur. Ac primum quidem Neptunus non commemoratur, deinde, id quod majoris momenti est, versus fragmentum esse persuasum mihi habeo. Hector Amphimachum interfecit 185 sq, Aiax Telamonius illum hasta repulsat, Graeci Imbrium a Teucro trucidatum armis spoliant, Aiax Oiliades caput rescindit 205:

Ἕκτορι δὲ προπάροιθε ποδῶν πέσεν ἐν κονίῃσιν.

Hic subito pugnae descriptio desinit; quivis exspectat tunc congressurum esse Hectorem cum Telamonio. Contra sequitur ira illa lenissima et subito Amphimachum Neptuni nepotem esse comperimus. 167—168 sine dubio hoc fragmentum cum Merionis et Idomenei colloquio coniunctum est. Nonne enim mirum videtur virum aciem relinquere, ut hastam novam promat? Unum exemplum est in tota Iliade, quantum equidem video.

Deinde 206—344 Idomenei aristia praeparatur. Colloquio habito Meriones et Idomeneus in pugnam festinant.

Ceterum duae pugnae partes 126—205 atque 361 sq primitus non ita compositae fuisse videntur, ut illa in media acie, in sinistra haec gereretur. Nam jam Lachmannus (l. l. p. 50) sagacissime viderat viros in utraque parte certantes a poëta induci, quos locum mutavisse nunquam legimus. Deiphobus 156 sq in media acie apud Hectorem est, at 402 sq in sinistra; idem autem dicendum est de Deipyro 92 sq — 487, 576, Antilocho 93 sq — 479, 545 sq. Merionem modo sane non ita sollerti e pugna duci media jam vituperavimus. Cum autem has narrationes duas pugnae partes esse legamus versibus recentibus 312 sq, verisimile est eum poëtam, qui libri initium composuit, partitionem quoque invenisse, ut dua fragmenta conjungeret, in quibus viri alii pugnabant. (Aiax, Hector, Teucrus — Idomeneus, Aeneas, Menelaus.) Eum autem fefellit nonnullos in utroque partes agere.

Versus denique 345—360, quibus Iuppiter et Neptunus comparantur aliis de causis jam a Lachmanni temporibus offenderunt (l. l. p. 49). 521—526 quoque recentes sunt, in eis enim dei, qui in Olympo manserunt, cum Neptuno amicos adjuvante comparantur. Sed hactenus de hoc libro.

2.

Quoniam argumentis probabilibus, ut nobis quidem videtur, in libro *N* Neptunum recentem esse demonstravimus, deum in libro *Ξ* quoque eundem pristinum non esse verisimile est. Quod libro ipso interpretando confirmatur. Initio Graeci rursus vincuntur atque ita fugantur, ut Agamemno de totius expeditionis prospero exitu desperans Trojam relinquere in animo habeat (65sq). Neptunus denique 135 apparet:

οὐδ' ἀλαὸς σκοπιὴν εἶχε κλυτὸς ἐννοσίγαιος.

Mirum videtur Neptunum reges e pugna redeuntes quasi ex insidiis (*σκοπιὴ*) exspectare. Sequitur colloquium cum Agamemnone. 147sq deus clamat veluti decem milia hominum et Graecorum animis fortitudinem inicit, at haec efficisse satis habet (148sq ∼ *E* 860sq, cf. Lachmann, l. l. p. 58—59).

Deinde legimus 153—360 *Διὸς ἀπάτην*. Qua de re Hypnos ab Hera ad terram missus Neptunum certiorem facit. Libro *O* quoque perlustrato de his versibus pauca dicemus.

Ξ 361—522 novum certaminum fragmentum memoriae traditum est. Denuo Graeci vincunt. Deus autem noster initio partes quasdam agit (361—401). Qui locus jam et Zenodotum et Aristophanem (cf. Schol. Towl. *τοὺς δύο* [376—377] *Ζηνόδοτος μὲν οὐδὲ γράφει, Ἀριστοφάνης δὲ ἀθετεῖ*), deinde Lachmannum (l. l. p. 58—59) et omnes fere ceteros Homeri criticos nostrae aetatis valde offendit. In primis 370—377: in ipsa pugna Graeci arma inter se mutant. Etiamsi quasi indutiae essent, tale mirum esset atque in auditum. Deinde Neptunus Graecorum dux est ita ut Trojanorum Hector! (cf. Bischoff, l. l. p. 21; Bergk, l. l. 611sq). Ceterum deus in toto libro semel 510 apparet. In narrationis parte quidem, quam critici nonnulli e contextu desecuerunt (cf. Hentze, Anhang V, p. 67sq). Probatur igitur id, quod jam conjecimus, hic quoque partes divinas cum ceteris rebus — humanis — non tam arte conjunctas esse, ut rerum ordo deo neglecto cogitari non possit. Facile perspicitur poëtam quendam illo usum esse, ut Graecam cladem libri initio conjungeret cum victoria fine tradita.

Ut denique librum *O* huic dissertationi addam, partes Apollinis inter homines actae utrum pristinae sint necne, in lucem proferre nostrum erit. Pater deorum hominumque postquam e somno Herae dolo perfecto summa impletus ira experrectus est, Neptunum amicos deserere cogit. Apollinem tunc ad Trojanos mittit, ut eorum pugnam felicem restituat. Fine enim libri *Ξ* Trojani contra urbem fugiebant eorumque dux Hector ab Aiace Telamonio maximo lapide obrutus sui ipsius scientiam perdiderat. 236sq Phoebus de Ida monte descendit. Repperit Hectorem, qui jam animum collegerat. *ἐπεί μιν ἔγειρε Διὸς νόος αἰγιόχοιο.* Cum viro collocutus (244—261) ejus membra summis implet viribus 262 (cf. 269sq). Qua in narratione non ita sollerter inventum esse arbitror Iovis nuntium nihil scire Hectoris incommodi (244—245). Cum autem Trojanorum exercitus rursus contra naves invadat, Apollo aegidem prae se ferens progreditur (307sq, 318sq). Mirari non possumus Graecos summo perterritos esse timore (326—327). Tota autem descriptio horum certaminum vituperanda est, ut aliis quoque causis adducti carmen retractatum esse arbitrari cogamur: partim Hector curru vehitur 352sq, partim pedibus progreditur 279, 306sq (cfr. Lachmann, l. l. p. 63). 263—268 = *Z* 506—511 non quadrare in totum harum rerum statum jam antiqui rectissime intellexerunt (cf. Schol. A. 265: *ἀθετοῦνται στίχοι δ' καὶ ἀστερίσκοι παράκεινται*) Thoantis consilium 286sq, quod id spectat, ut optimi prope muros Trojanis resistant, populus autem sese colligat ad naves in versibus, qui sequuntur, in primis 312sq. *Ἀργεῖοι δ' ὑπέμειναν ἀολλέες κτλ.*, 323sq non observatur (cf. Ribbeck, Phil. VIII, p. 489, Hoerner, De extremo Graecorum discrimine quomodo in Iliade descriptum sit. Erlangae 1877, p. 7sq). Nestor, qui subito apparet, 370sq Jovem obsecratur, ut Graecos e summo periculo servet. Iuppiter senem audit et tonat. Cum autem victores patrem tonantem audiverint, majore impetu in Graecos invadunt (Hentze, Anhang V, p. 106) Non omittam versus 333—336 etiam *N* 694—697 traditos esse.

In versibus, qui sequuntur usque ad libri finem — fere quadringenti — Apollo semel commemoratur 521. Poëta eius

omnino oblitus esse videtur. Contra in omnibus certaminibus, quorum compositio ita turbata est, ut unius poëtae opus haud scio an non sit — quae quaestio hic quidem a nobis tractari opus non est — Iuppiter is est, qui res humanas e longinquo regat: 242 Hectorem ad sui ipsius scientiam revocat (Apolline opus non est), 377 preces audit Nestoris, 461 Hectorem tuetur (cf. 490), 567 *ἐπὶ δὲ Ζεὺς Τρῶας ἔγειρεν*, 593 Jove constituente Trojani vincunt, 611 Hectorem tuetur tertium, 637 *Ἀχαιοὶ θεσπεσίως ἐφόβηθην ὕφ' Ἕκτορι καὶ Διὶ πατρί*, 694 *τὸν δὲ Ζεὺς ὦσεν ὄπισθεν χειρὶ μάλα μεγάλῃ, ὤτρυνε δὲ λαὸν ἅμ' αὐτῷ* (cfr. 719). Iuppiter igitur is est, qui rem regat. Is artissime cohaeret cum narratione cetera. Apollo autem ab eo poëta recenti additus esse videtur, qui haec certamina, quibus Trojanorum victoria proditur, conjunxit cum eis versibus, in quibus fine libri *Ξ* felices non sunt. Cogitari autem mea quidem sententia potest Apollinem in pristina quoque carminis forma inventum esse, etiamsi ipse inter milites non adesset: legas velim versus 521 vel 327. Ut Neptunus, ita Apollo initio pugnarum narrationis apparet atque rem gubernat, deinde omnino non ullius momenti est. Quattuor nobis occurrunt pugnae partes diversae in libris *N*—*O*: bis fugantur Graeci, bis Trojani. De horum locorum natura atque origine hic quidem tractare trans fines propositi mei transgrediatur. Qui si neglectis deorum partibus accurate perlustrabuntur, quomodo compositi sint, recte intellegetur. In nostro contextu deis partes diversae inter se conjunctae sunt, sive jam antea ita inter se cohaerebant sive non, nam poëtas epicos carmina diversa deis usos commiscuisse iam capite altero exempla protuli dilucida. Si autem et Neptunus et Apollo pristini non sunt, illa quoque deorum colloquia et res gestae, quae critici Alexandrini *Διὸς ἀπάτη* appellaverunt, recentioribus Iliadis partibus attribuenda sunt. Ex *O* 49 sq (cf. 234—235) haud difficile intellegi potest poëtam his versibus id spectavisse, ut omnia, quae sequuntur, Patrocleia et Achillis res gestae, melius his certaminibus addi possent (Finsler, Die Olympischen Szenen der Ilias, p. 15 sq). Utrum rerum divinarum compositionem uni poetae

an pluribus attribuamus, vix dici potest. At si in animo habemus Neptuni res non ita arte conjunctas esse cum Herae dolo — nam ille Graecos adiuvit et magis adjuvare potuit sine Jovis somno quoque — coniectura a limine vituperari non potest libros bis retractatos esse. In hac autem re ad certam opinionem pervenire nos non posse e carminum natura apparet.

IV.

1.

Ac primum quidem Iliadis *Υ* 79—352 Achillis et Aeneae certamen singulare tractemus. Quos versus compositos in maiorem Aeneae eiusque gentis gloriam a poeta recenti, cui notae erant fabulae quaedam Troianae, carmen esse recentissimum neque partem Iliadis pristinam primus intellexit Eduardus Kammer (Kammer, Zur hom. Frage II, Königsberg 1870; cf. Niese, l. l. p. 114; Bergk, Gr. Literaturg. I, p. 633; Robert, l. l. p. 223 sq) atque probavit argumentis optumis. Hic id modo tractabo, utrum dei initio carminis a poeta adhibiti pristini esse possint necne. De carmine ipso toto 156—352 e nostro rerum contestu desecto plura, cum de Iliadis partibus recentibus agemus, infra disseremus.

Primos carminis huius singularis non alios versus fuisse persuasum habeo nisi 156 sq.: e mediis exercitibus, qui manus collaturi sunt, progrediuntur Achilles atque Aeneas. Qui locus aptissimus est ad carminis initium (cf. Hedwig Jordan, Der Erzählungsstil in den Kampfszenen der Ilias, Diss. Zürich 1906, p. 115). Cum his ei versus, qui antecedunt 79 sq non congruunt (Hentze, Anhang VII, p. 52, 54) 79 Apollo incitat Aeneam: 158 vir Troianus sua sponte progreditur; 156 sq campus militibus impletur, exercitus spatio quodam separati sunt, pugna nondum coepit: nonne e fine libri *T* et initio *Υ* (31, 41 sq) concepimus hostes diu manus contulisse? Et utraque parte deus

quidam militum animos inflammat. Quae cum ita sint, ei recte mihi dixisse videntur, qui initium carminis 156sq statuerunt.

Si autem quaesiverit quis, cur tandem deus ille Veneris filium impellat, respondendum esse arbitror hoc: huius carminis Aeneas vir est audacissimus, qui sua sponte adversarium maximum aggreditur cuiusque hastam hic ipse veretur (260sq). At in ceteris Iliadis libris etiamsi non contemnendus, attamen non ita ingens hostis est. Atque tunc sine divino auxilio Peleidam toto Troianorum exercitu superiorem aggredi auderet? Versibus 79—111 comperimus, qui deus Aeneae hanc fortitudinem in animum iniecerit. Versus igitur ante carmen singulare positi esse videntur, cum in contextum pristinum insereretur[1]). Ceterum ad versus componendos poeta recentissimus carmine ipso usus est: 90sq ~ 188sq; 105sq ~ 206sq; 109 ~ 256sq.

Si 79—111 recentissimos esse atque coniungere carmen singulare cum libro *Y* arbitramur, versus quoque 112—155 pristimos non esse, Neptuni et Herae colloquium habitum Minera praesente, dicere debemus. Etenim artissime cohaerent cum eis, qui antecedunt. In his Aeneas Apollinis et monitu et auxilio vir fit periculosissimus ita, ut Hera tunc vereatur, ne ab Aenea Achilles vincatur. Hanc autem ob rem hoc deorum colloquium, id quod critici diu viderunt (Hentze, Anhang VII, p. 50, 55; cf. Naber, l. l. p. 201) cum concilio huius libri initio tradito non concinit. Ibi enim Iuppiter timet, ne Achilles contra fatum Troiam urbem illo die expugnaturus sit. At in aliis rebus, ea quae ante prolata sunt, respectantur. 55—74 divini in duas partes divisi certamen inter se ipsos inituri sunt. Quod certamen hic non sequitur statim. 74 subito narratio desinit. 144sq quoque dei discordant. Neque vero obsistunt neque ad certandum parati sunt. Versus igitur id spectant, ut id quod Benedictus Niese (l. l. p. 102) rectissime vidit, de-

[1]) Hic Apollo Aeneam incitat, at infra Neptunus eum a mortis periculo tuetur. Nonne hoc offendit? (C. Rothe, I. a. D. p. 304). Neptunum adiutorem esse in natura carminis singularis conditum est. Cuius poetae fabulae quaedam Troianae notae erant. At is qui carmen inseruit, bene novit Neptunum semper in carminibus epicis ex parte Graeca esse, immo Apollinem ex Troiana.

claretur, cur dei ad pugnam positi nondum manus conferant, atque ut res posterae praepararentur: 138sq, si dei quidam Achillem impedient, amici eius eum adiuvabunt. Sine dubio poeta Scamandrum in animo habet. Coniunguntur igitur versibus 112—155 prior theomachiae pars cum carmine singulari atque altera narrationis parte, ipsa theomachia. Haud scio an compositi sint exemplo divini colloquii, quod carminis fine legimus 290—317: in utroque Hera colloquitur cum Neptuno, Minerva adest tacita; 114 *θεοὺς μετὰ* conferas velim cum 292 *θεοῖς μετὰ* (Hentze, Anhang VII, p. 57).

2.

Lycaone interfecto *Φ* 115sq Achilles cadaver in Scamandrum flumen coniicit, ut a piscibus edatur, et pestem atque perniciem omnibus Troianis minatur (122—135). Deinde versus sequuntur hi:

136: *ὣς ἄρ' ἔφη, ποταμὸς δὲ χολώσατο κηρόθι μᾶλλον*
ὥρμηνεν δ' ἀνὰ θυμόν, ὅπως παύσειε πόνοιο
δῖον Ἀχιλλῆα, Τρώεσσι δὲ λοιγὸν ἀλάλκοι.

Poeta igitur narrat deum magis irasci. Nonne hoc offendit? Quasi iam supra de Scamandri ira narratum esset. Cur autem fluminis dominus ira inflammatur? Miseret eum Troianorum, qui multi ab Achille crudelissime saevienti trucidantur.

Tunc Asteropaeus, Axii fluminis nepos, Achillem aggreditur:

145[b]: *μένος δέ οἱ ἐν φρεσὶ θῆκεν*
Ξάνθος, ἐπεὶ κεχόλωτο δαικταμένων αἰζηῶν,
τοὺς Ἀχιλεὺς ἐδάιζε κατὰ ῥόον οὐδ' ἐλέαιρε.

His demum versibus de ira agitur, tunc deus irasci coepit. At supra legimus eum magis irasci! Quid? Res maximi momenti: hic Xanthus irascitur propter multa cadavera ab Achille in flumen missa (*Φ* 1—16). Duae igitur exstant in his versibus irae causae. Quae prior sit, nondum decerni potest.

Colloquio inter se habito Achilles et Asteropaeus vires metiuntur: hic post brevem pugnam occiditur (161—200) prope

flumen. Cadaver autem eius ita iacet, ut pisces id attingere possint (201—204). Achilles in ea fluvii ripa versatur, quae ad castra Graeca spectat. Troianorum pars altera (1 sq) per vadum in urbem fugere potuit, altera, cui id non contigit, fugatur in flumen, quod transgredi sine vitae periculo non potest, vel secundum ripam errat. In hostibus mediis Achilles saevit. Etiam Paeones in eorum numero sunt (205 sq). Quorum cadavera prope aquas manent atque partim in eas ipsas cadunt. Hoc non multis verbis exprimere poeta debuit. 212 rursus Scamander inducitur. Viro aequus ex profundis emergit atque Achillem orat, ne maiore numero necatorum undas suas impleat. Haec causa irae est! Deus quasi stupefactus Troianos occidi sese ipsum concedere debere verbis exprimit dilucidis:

216: *εἴ τοι Τρῶας ἔδωκε Κρόνου πάϊς πάντας ὀλέσσαι*
ἐξ ἐμέθεν γ' ἐλάσας κτλ.

etiamsi pro illis pauca precatur

220: ...... *σὺ δὲ κτείνεις ἀιδήλως*
ἄλλ ἄγε δὴ καὶ ἔασον· ἄγη μ' ἔχει, ὄρχαμε λαῶν.

Achillis responsum optume concordat cum dei precibus. Pollicetur enim hostes sese iam non in undis ipsis interfecturum, immo exercitu Troiano contra urbem atque post moenia fugato certamen cum Hectore ausurum esse. Dei preces atque irae causa optume concinunt cum 145/47, sed non in consensum redigi possunt cum 136/38, ubi Scamander Troianos adiuvare vult! Achillis verbis tunc quidem irae causa sublata esse videtur.

Nunc autem legimus 227—232, qui diu valde offenderunt. (Ad totum locum conferas velim Bernhardt, Beitrag zur Homerkritik, Verden 1872, p. 20.) Scamander enim Apollinem admonet, ut adsistat Troianis secundum Iovis iussum. Ac primum quidem haec Scamandri cura non concinit cum verbis 215 sq (cf. Naber, l. l. p. 205; Hentze, l. l. VII, p. 86).

Deinde unde venit Apollo, cur non respondet neque quicquam facit? 515 Demum post theomachiam apparet! Versus 227 sane obscurus est: in quos Troianos Achilles sese vertit? Quid fecerit post verba 222—226, narratur vs 233—247 eum flumen

transgredi. Denuo igitur versus vituperandi sunt, quibus Xanthus Achillis adversarius Troianae salutis causa existit.

Quomodo autem 233 sq interpretandi sunt? Quaerendum est, congruant cum 213—226 necne.

Tunc Achilles de ripa desilit in medium fluvium sine dubio nulla alia causa commotus nisi, ut eum transgrediatur. Eos Troianos persequi studet, qui per vadum contra urbem salutem petere conati sunt. Nam in ipsis undis vel ad ripas necare iam non potest deo concedens. Quid autem tunc Scamander facit. Magnopere sane intumescit, at cur? Quod legimus statim eisdem versibus

235: *ὦσε δε νεκροὺς*
πολλούς, οἵ ῥα κατ' αὐτὸν ἅλις ἔσαν, οὓς κτάν' Ἀχιλλεύς.

At hic in ipsa causae descriptione, cur intumescat flumen (—242), nullo versu legitur deum contra Achillem pugnasse! Qui tunc in flumine sine dubio in summum periculum incidit, at non alia de causa atque quod flumen plenum est multorum corporum. Demum 248—250 dei ira rursus commemoratur. Sero quidem putaverit quis. Atque idem sunt versus, qui 136/38 (a verbo *ἵνα μιν παύσειε πόνοιο κτλ.*) a nobis vituperati sunt. Iam supra e dei precibus concludendum esse eum Troianis adsistere non velle protulimus. 248—250 neglectis tota narratio minime discrepat a versibus 212—226.

Ex omnibus quae adhuc disserui, id sequitur locum retractatum esse. Omissis versibus 136—138, 227—232, 248—50 res ita sese habet: Xanthus iratissimus de multis cadaveribus Achillem orat, ut hostes in ipso flumine vel ad ripas interficere desinat. Quod hic concedit. At cum fluvium transgredi studeat, quod hic propter magnam necatorum multitudinem valde intumuit, in summo periculo versatur. Haec autem narratio, quam inter se concordare quivis concedet, ab altero poeta retractata est. Is enim induxit deum Troianorum adiutorem; alteram irae causam invenit; deus, ut est Troianorum amicus, aegre fert Achillem ita saevire. Itaque fit, ut e periculo, quod Achilli a flumine magno imminet, certamen fiat inter deum

atque hominem. Huic poetae versus 136/38, 227—232, 248—50 attribuemus. Sine dubio autem cogitari potest alios quoque ab eo insertos esse, ut 264[b]. At illis a nobis supra laudatis summum continetur.

Iam si quaerimus, sit finis 272—304 pristinus necne, locum aptum esse per se et ad narrationem antiquam et ad retractatam respondendum est. Nam semper Achillem in periculo versari legimus, nullo loco causam. At aliis argumentis commoti hunc finem recentem putabimus, (cf. Th. Bergk, Griech. Literat., p. 635) praesertim cum vestigia prioris formae mea quidem sententia ostendi possint. Inprimis offendunt 284—299. Precibus ad Iovem missis ab Achille Neptunus atque Minerva veniunt, at haec mutas agit partes. Eam igitur inductam esse satis supervacaneum videtur. In tota autem loci interpretatione Bernhardtum (l. l.) sequemur dicentem: Es ist in der Tat kaum begreiflich, daß zwei Götter kommen und statt den verzweifelnden Helden aus der augenblicklichen großen Gefahr zu retten, ihn damit trösten, daß der Flußgott von selbst bald aufhören werde und dann die Ermahnung anknüpfen, deren er wahrlich nicht bedarf, er solle nicht aufhören, bis er die Troer in die Stadt gedrängt habe. 290 Minervam modo, non Neptunum, nomine appellatam esse minoris momenti est (cf. Naber, l. l. p. 206).

Deinde 300 ἐς πεδίον offendit: nonne iam 245 sq Achilles fluvium ipsum reliquit atque in campum cucurrit? 301—302 nihil novi profertur, similis descriptio iam 235 sq legitur. At 302 b—304 comperimus, quomodo sese servaverit Achilles: exsilit magna spatia pedibus corripiens per aquas atque subito narratur, cur tandem vincat flumen

304: .... μέγα γὰρ σθένος ἔμβαλ' Ἀθήνη.

Quod dici potuit etiam absente ipsa dea. Hunc versum pristinum esse putaverim. Nam primum divino auxilio huius loci Achilles salus efficitur, minime Neptuni verbis. Deinde nonne mirum videtur versum non legi post ipsam illius orationem? Hic salutis causa est θεῶν ἐφετμή. Subito autem post nonnullos

versus causa occurrit multo melior. Quem versum haud scio an poeta noster recens in antiquo libro reppererit atque ne deam desideraremus eam 284, Neptunum comitatam, induxit. (cf. Eduard Kammer, Ästh. Commentar zur Ilias 1906, p. 342).

Nunc ad alteram certaminis partem 305—382. Non solum a Scamandro, sed etiam Simoente Peleides urgetur, dum Vulcanus ab Iunone arcessitus flumina igni coerceat. In hac narratione primum quidem vituperandum est Simoentem neque quicquam respondere fratri neque quicquam efficere, deinde hoc certamen magis esse inter deos quam inter hominem deumque. Achilles enim fere evanuit (306, 324 sq apparet), eum periculum effugisse non legimus. Pugnatur non ita de eius salute quam de Troianorum (cf. 336, 359, 374, 380) (cf. Bernhardt, l. l. p. XXI; Hentze, Anhang, p. 93). Rerum statum prioris partis is, qui hos versus composuit, quodam modo ex animo perdidit. Quoniam deum Troianos adiuvare studere rem esse recentem in priore parte interpretanda vidimus, haec quoque narratio pristina non est. (305—382 recentissimis Iliadis partibus attribuendos esse e novissimorum criticorum numero arbitrati sunt inter alios Robert, l. l. p. 233; Ulr. de Wilamowitz apud Finslerum, Homer p. 597; Finsler ipse.)

Immo exstat nobis his versibus id, quod iam Bernhardtus dixit, prima ipsius theomachiae pars, quae sequitur statim 383 sq, etiamsi hos versus non idem haud scio an composuerit qui 305—382. Theomachiam autem pulchritudine excellere atque in totam Achilleim quadrare hodie ne unus quidem criticus putaverit. Haec altera pars certaminis cum Xantho certati sine dubio gradatio est prioris, simul autem rerum humanarum narratio coniungitur cum discordia divina. Ceterum 331 poeta rationem habet versuum Υ 73—74, quibus Vulcanum contra Scamandrum certamen praeparasse traditum legimus, cum totus Olympus in dua castra divideretur (cf. Niese, l. l. p. 102, Anm. 1).

3.

Deis pacatis Apollo Φ 514 Troiam sese confert, ne Graeci contra fatum urbem expugnent. Nam Achilles atque totus exercitus

Graecus Troianos per planitiem persequuntur. Priamus autem rex portas aperiendas facit, ut populus intra moenia salutem petat. At ne Graeci cum ipsis Troianis in urbem invadant, Apollo 545 sq Agenorem, Antenoris filium, incitat, ut Achilli horribiliter saevienti resistere audeat. Is postquam breviter secum volvit, utrum fugiat atque quo, an fortiter adversarium exspectet, denique discrimen tentare constituit. Qui versus ad exemplum *X* 99 sq, quibus Hector similiter considerat, compositi esse videntur (cf. Jacob, l. l. p. 341). Nam talis narratio in libro *Φ* minime apta, quod deus Agenorem incitavit eiusque animum fortitudine implevit, denique eum ipse a mortis sorte tuetur (595 sq). Deus virum Troianum periturum nebula circumdat densa et e campo tollit. Quo facto ipse Agenori aequus Achillem ab urbe ducit, dum omnes Troiani sese servaverint. *X* 5 sq Achilles denique fraudem intellegit. *X* 203 Apollo denuo apparet, at Hectorem a fato tueri non potest (cf. Ilias ed Nauck II. 253, 202—204 spurii?).

Si rem diligenter consideramus, tota narratio sine deo componi potuit. Hectoris mortem ne Apollo quidem impedit atque sine eo Troiani portis a Priamo apertis in urbem sese servassent. Praeterea cum similia iam supra legerentur (cf. Niese, l. l. p. 103) verisimile videtur versus, qui Agenorem et Apollinem praebent a poeta recenti ad locum exornandum insertos esse. Praeterea hic poeta Antenoris filium, Agenorem, memoriae prodere studuit.

Versibus *Y* 375—380 atque 438—454 contextum pristinum traditum non esse sexto capite probare conabor. Atque infra redeam ad Scamandrum et ad carmen singulare in Aeneae gloriam compositum.

Intelleximus igitur deos, qui in terra apparent in his tribus libris *Y Φ X*, Apollinem, Minervam, Heram[1]), Hephaestum antiquis carminibus additos esse.

[1]) Ceterum versus *Φ* 6—7:

τῇ ῥ' οἵ γε προχέοντο πεφυζότες, ἠέρα δ' Ἥρη
πίτνα πρόσθε βαθεῖαν ἐρυκέμεν· . . .

pristini cogitari possunt.

Quae cum ita sint, deorum colloquium quoque initio libri *Y* traditum, quo Iuppiter deis permittit, ut amicos adiuvent, praesertim autem impediant, ne Achilles Graecique contra fatum hodie urbem deleant, postea in narrationem insertum esse sequitur. Item pristini non sunt versus *Y* 54—74, quibus theomachia praeparatur.

Iam pauca dicam, utrum plures poetae in hos libros deos induxerint an unus. Iovis timor, ne contra fatum illo die *Ἰλίου πέρσις* fieret (30), quo commotus divinos denuo pugnae sese immiscere concedit, certe ad Achillis magnitudinem augendam inventus est; simul implicite respicitur ad Iovis interdictum libri *Θ* 1 sq. Cum patris metu artissime cohaerent Apollinis — Agenoris res gestae: is cum Troiam sese confert, idem timet (cf. *Φ* 515 sq, 544 sq). Haud scio an idem poeta utrumque locum composuerit. Alter autem Minervam libri *X* induxit. Is enim, cum Achilli divino auxilio contingat, ut superior fiat, Hectoris gloriam augere studuit. Praeterea in versibus *Y* 64—74, priore theomachia parte, descriptio aliena esse videtur. 56—66 enim narratio invenitur sane sublimis, quae valde abhorret a ceterae theomachiae pravitate. Reliquos autem locos diversis attribuere poetis mea quidem sententia vagae coniecturae sunt, etiamsi verisimile est non unum poetam, immo plures carmen antiquum retractasse.

V.

1.

Hoc quidem capite mihi proposui librum *P* percurrere.

Ac primum accedamus ad libri initium 1 sq. De Patroclo necato certant Menelaus atque Euphorbus, dum hic ab illo interficiatur. Iam supra de Euphorbo diximus. *Δάρδανος ἀνήρ Π* 807 postea Euphorbus appellatus esse videtur, ut certamen Euphorbi et Menelai (*P* 1 sq) praepararetur. (Erici Bethei coniectura. Aliter Robert, l. l. p. 391.) At ne in hoc quidem libro Euphorbi

Graecus Troianos per planitiem persequuntur. Priamus autem rex portas aperiendas facit, ut populus intra moenia salutem petat. At ne Graeci cum ipsis Troianis in urbem invadant, Apollo 545 sq Agenorem, Antenoris filium, incitat, ut Achilli horribiliter saevienti resistere audeat. Is postquam breviter secum volvit, utrum fugiat atque quo, an fortiter adversarium exspectet, denique discrimen tentare constituit. Qui versus ad exemplum *X* 99 sq, quibus Hector similiter considerat, compositi esse videntur (cf. Jacob, l. l. p. 341). Nam talis narratio in libro *Φ* minime apta, quod deus Agenorem incitavit eiusque animum fortitudine implevit, denique eum ipse a mortis sorte tuetur (595 sq). Deus virum Troianum periturum nebula circumdat densa et e campo tollit. Quo facto ipse Agenori aequus Achillem ab urbe ducit, dum omnes Troiani sese servaverint. *X* 5 sq Achilles denique fraudem intellegit. *X* 203 Apollo denuo apparet, at Hectorem a fato tueri non potest (cf. Ilias ed Nauck II, 253, 202—204 spurii?).

Si rem diligenter consideramus, tota narratio sine deo componi potuit. Hectoris mortem ne Apollo quidem impedit atque sine eo Troiani portis a Priamo apertis in urbem sese servassent. Praeterea cum similia iam supra legerentur (cf. Niese, l. l. p. 103) verisimile videtur versus, qui Agenorem et Apollinem praebent a poeta recenti ad locum exornandum insertos esse. Praeterea hic poeta Antenoris filium, Agenorem, memoriae prodere studuit.

Versibus *Y* 375—380 atque 438—454 contextum pristinum traditum non esse sexto capite probare conabor. Atque infra redeam ad Scamandrum et ad carmen singulare in Aeneae gloriam compositum.

Intelleximus igitur deos, qui in terra apparent in his tribus libris *Y Φ X*, Apollinem, Minervam, Heram[1]), Hephaestum antiquis carminibus additos esse.

---

[1]) Ceterum versus *Φ* 6—7:

> *τῇ ῥ' οἵ γε προχέοντο πεφυζότες, ἠέρα δ' Ἥρη*
> *πίτνα πρόσθε βαθεῖαν ἐρυκέμεν·* . . .

pristini cogitari possunt.

Quae cum ita sint, deorum colloquium quoque initio libri *Y* traditum, quo Iuppiter deis permittit, ut amicos adiuvent, praesertim autem impediant, ne Achilles Graecique contra fatum hodie urbem deleant, postea in narrationem insertum esse sequitur. Item pristini non sunt versus *Y* 54—74, quibus theomachia praeparatur.

Iam pauca dicam, utrum plures poetae in hos libros deos induxerint an unus. Iovis timor, ne contra fatum illo die *Ἰλίου πέρσις* fieret (30), quo commotus divinos denuo pugnae sese immiscere concedit, certe ad Achillis magnitudinem augendam inventus est; simul implicite respicitur ad Iovis interdictum libri *Θ* 1 sq. Cum patris metu artissime cohaerent Apollinis — Agenoris res gestae: is cum Troiam sese confert, idem timet (cf. *Φ* 515 sq, 544 sq). Haud scio an idem poeta utrumque locum composuerit. Alter autem Minervam libri *X* induxit. Is enim, cum Achilli divino auxilio contingat, ut superior fiat, Hectoris gloriam augere studuit. Praeterea in versibus *Y* 64—74, priore theomachia parte, descriptio aliena esse videtur. 56—66 enim narratio invenitur sane sublimis, quae valde abhorret a ceterae theomachiae pravitate. Reliquos autem locos diversis attribuere poetis mea quidem sententia vagae coniecturae sunt, etiamsi verisimile est non unum poetam, immo plures carmen antiquum retractasse.

V.

1.

Hoc quidem capite mihi proposui librum *P* percurrere.

Ac primum accedamus ad libri initium 1 sq. De Patroclo necato certant Menelaus atque Euphorbus, dum hic ab illo interficiatur. Iam supra de Euphorbo diximus. *Δάρδανος ἀνήρ Π* 807 postea Euphorbus appellatus esse videtur, ut certamen Euphorbi et Menelai (*P* 1 sq) praepararetur. (Erici Bethei coniectura. Aliter Robert, l. l. p. 391.) At ne in hoc quidem libro Euphorbi

res gestae congruunt cum cetera narratione (cf. Jacob, l. l. p. 310). Menelaus enim 24sq Hyperenorem, Euphorbi fratrem maledictis usum sibi restitisse narrat. At (cf. Erhardt, l. l. p. 313) Ξ 516sq hoc legimus:

> Ἀτρείδης δ' ἄρ' ἔπειθ' Ὑπερήνορα ποιμένα λαῶν
> οὖτα κατὰ λαπάρην, διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσεν
> δηώσας· ψυχὴ δὲ . . . κτλ.

Hyperenor igitur neque collocutus est cum Menelao neque restitit, sed in fuga fuit. Verisimile est rem a poeta recenti exornatam esse (cf. Kammer, ästhetischer Kommentar, p. 300). Deinde in versibus, qui sequuntur (cf. Bernhardt, Beitrag p. VIIsq), inprimis 113, 120, certamen exardescit de Patroclo necato, non de Euphorbo, cuius oblitus est poeta. Nihil comperimus, utrum amici Euphorbi corpus in urbem servare potuerint necne. Maximi autem momenti mea quidem sententia est e versibus 120sq concludendum esse in ipsa narratione lacunam patere inter finem libri *Π* atque versus, quibus de Patrocli corporis sorte poeta narrat. Menelaus ad Aiacem 121:

> σπεύσομεν, αἴ κε νέκυν περ Ἀχιλλῆϊ προφέρωμεν
> γυμνόν· ἀτὰρ τά γε τεύχε' ἔχει κορυθαίολος Ἕκτωρ.

Deinde legimus 125:

> Ἕκτωρ μὲν Πάτροκλον, ἐπεὶ κλυτὰ τεύχε' ἀπηύρα
> ἕλχ', ἵνα ἀπ' ὤμοιιν κεφαλὴν τάμοι ὀξέι χαλκῷ.

Versu 13 cadaver armatum est. Cum Menelaus id desereret, Hector nondum spoliaverat. Si autem ille putat interea id factum esse (121—122), suspicari debet cadaver quoque in hostium manibus esse! (Schütz, De Patrocleae compositione. Programm Anclam 1854, p. 14.)

Verba igitur eius in nostram narrationem non quadrant. Quo accedit infra quoque nunquam legi Hectorem Patroclum spoliare. 125—126 armis raptis cadaver ipsum capite privare studet. Equidem igitur Euphorbo inserto hanc partem eiectam esse crediderim (cum Bergkio, p. 619, Anm. 229). Res olim ita sese habuit: Hector reportata victoria arma quidem adversarii rapere potuit, cadaver autem ut in amicorum manus

traderet, ei non contigit Telamonio arcessito a Menelao. Tunc de corpore certatur. Uterque et Aias et Menelaus 626sq quoque, cum Patroclus in castra reportetur, partes agunt maximas.

Quae cum ita sese habeant, Apollo — Mentes quoque (iam Bergkius, l. l. p. 620 hunc Mentem cum Odyssea coniunxit.), qui 71sq Hectorem revocat, pristinus non est. Quo deo usus poeta illum, quem Euphorbo addito longissimum per spatium Achillis divinos equos persequentem fecit, eo tempore reducit cum res in discrimen venit, utrum interfecto Panthoida Patrocli cadaver ab amicis servari posset necne.

2.

P 262sq audimus Troianos Hectore duce magna vi in eos invasisse, qui cadaver tuebantur. Atque Achaei paulo retrosum recedere coguntur. Paene contingit 288sq Hippothoo, ut cadaver pedibus in Troianas partes subtrahat. At in conatu interficitur a Telamonio subito apparente ita, ut ipse super Patroclum iaceat. Cum Hector Aiacem hasta perfodere studeat, res non bene evenit: telo non eum assequitur, at Schedium, Iphiti filium. Quem ut ulciscatur Telamonius 312 Phorcynem, Phaenopis filium, in tartara mittit. Quo perterriti Hector atque promachi Troiani pedes referunt. Graecis autem accidit 318, ut Phorcynem atque Hippothoum armis spolient. Si autem haec in potestatem suam redigunt, cur non Patroclum, iuxta quem iacent?

Magis autem miramur, cum versus 319sq legimus (cf. 335sq). Non solum paulum Troiani pedes referunt, sed tantum spatium, ut poeta dicere possit: tunc Graeci Troiam expagnavissent (cf. Naber, l. l. p. 189, 319—320 = *Z* 73—74). Etiamsi periculum haud scio an non tantum sit, hoc dicere possumus Troianos certe cadaver omnino deseruisse. Cur autem Graeci id non servant, victores cum sint? Postea amicum reportant quamquam Troiani victores sunt! Aeneas denique ab Apolline admonitus res Troianas restituit. Troiani rursus resistunt. Mars fit anceps. 344—365 rursus certamina tradita sunt singularia.

Ubi autem pugnatur? Ex versu 355 concludimus prope Patroclum. At si Troiani tantum spatium fugerunt, deinde restiterunt neque denuo processerunt, fieri non potest, quin in eodem loco, id est prope cadaver, proelientur. Coniectura igitur mihi in mentem venit, versus ca 316—343, quibus magna clades enarratur, postea in locum insertos esse. Quibus neglectis hoc restituitur. Troiani accurrentes Graecos repellere non possunt; pugna de Patrocle anceps certatur. Quae si recte dicta sunt, etiam Apollo contextum relinquere cogitur, ut ita dicam. Quoniam poeta quidam rem ita in discrimen duxit, ut res ageretur ipsius Priami urbis, facile atque celeriter Apollinis auxilio usus rei priorem statum restituit.

3.

P 543 sq legimus:

> *ἂψ δ' ἐπὶ Πατρόκλῳ τέτατο κρατερὴ ὑσμίνη*
> *ἀργαλέη πολύδακρυς, ἔγειρε δὲ νεῖκος Ἀθήνη*
> *οὐρανόθεν καταβᾶσα· προῆκε γὰρ εὐρύοπα Ζεύς,*
> *ὀρνύμεναι Δαναούς· δὴ γὰρ νόος ἐτράπετ' αὐτοῦ.*

Quorum versuum *P* 545 iam Alexandrinos offendit (Schol. Towl. *P* 545: *Ζηνόδοτος ἀθετεῖ . τινὲς οὐδὲ γράφουσιν . πῶς γὰρ ἂν τῇ Ἴδῃ ὢν ὁ Ζεὺς αὐτὴν πέμπει, ἢ δὲ οὐρανόθεν κάτεισιν;*). Deinde criticorum nostrae aetatis Lachmannus (l. l. p. 78) locum valde vituperavit, quem omnes fere critici secuti sunt. Cur subito consilium sibi propositum Troianos adiuvanti, quod 206 et 453 sq comperimus, Iuppiter mutat? Atque 593 sq rursus ex parte Troiana stat pater deorum hominumque: Troianis victoriam praebet, fugat Graecos. Atque quamquam hi cadaver servare potuerunt, tamen inferiores in castra revertuntur. Minervae quoque partes non sine criticorum vituperatione manserunt. 344—365 Graeci non solum fortiter resistunt, sed etiam quodam modo superiores sunt. Cur Minerva nunc adhortatur Menelaum 555 sq? Et quid facit hic? Unum Troianum ignotissimum interficit. Hectorem autem admonet deus Apollo (cf. Bernhardt, p. 11; Schütz, l. l. p. 19). Quae res paene cum Iovis consilio supra enarrato (545—546) in consensum redigi potest. Utroque viro a deo quodam incitato certamen exspectamus. At nihil sequitur. 593 Iuppiter consilio subito mutato pugnam in Troianorum gloriam vertit. Quae cum omnia ita sint, plurimos secuti criticos hos versus postea a poeta recenti in pristinam narrationem insertos esse putabimus.

Denique hoc proferam: quater dei apparent in hoc libro, Apollo ter, Minerva semel. Atque quattuor locos similitudine quadam coniunctos esse arbitror. Semper deus homini aequus apparet et ad virum adhortandum parvam habet orationem, qua eum incitat ad fortiter pugnandum. Vir, cuius formam deus induit, vel senex est (Phoenix, Periphas) vel amicus (Mentes, Phainops). Bis Apollo Hectori mortis amici cuiusdam nuntium affert. Haud scio an idem poeta locos a nobis tractatos composuerit.

VI.

1.

Prima quidem paragrapho interpretandos mihi proposui versus libri *Λ* 148—290. Agamemno, Graecorum princeps, totum fugat exercitum hostium atque permultos eorum trucidat. Hectorem autem Iuppiter e pugna educit:

163: *Ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεὺς ἔκ τε κονίης*
ἔκ τ' ἀνδροκτασίης ἔκ θ' αἵματος ἔκ τε κυδοιμοῦ.

Quomodo atque quorsum? Nihil comperimus. Atrides Troianos ad portas Scaeas persequitur neque quisquam ei resistere audet. Cum autem sub moenia urbis ipsius venturi essent, Iuppiter, qui sese ad Idam montem contulit, Iridem ad Hectorem mittit imperaturam, ut tam diu pugna sese abstineat, quam Agamemno nondum vulneratus sit. Tunc autem prior huic obviam it Iphidamas 218 sq, Antenoris filius. Quo interfecto frater eius, Coon necem ulcisci studet atque contingit ei, ut Agamemnonis manum hasta tangat. At hanc rem gestam vita solvere debet. Aga-

memno autem ipse cogitur pugnam deserere 280—284. Versus, qui sequuntur, hi sunt:

284: *Ἕκτωρ δ' ὡς ἐνόησ' Ἀγαμέμνονα νόσφι κίοντα*
Τρωσί τε καὶ Λυκίοισιν ἐκέκλετο μακρὸν ἀΰσας·
Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταί
ἀνέρες ἔστε, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς
οἴχετ' ἀνὴρ ὥριστος, ἐμοὶ δὲ μέγ' εὖχος ἔδωκεν
Ζεὺς Κρονίδης· κ. τ. λ.

Quos versus rectissime mihi videtur interpretatus esse Carolus Robert, Studien p. 156sq. Hector *Ζεὺς*, inquit, *μέγ' εὖχος ἐμοὶ ἔδωκεν* id est nihil aliud nisi: magnam mihi Iuppiter dedit gloriam. Tale quid autem viri Homerici dicunt certamine quodam feliciter perfecto. At in nostra narratione Coon omnia, Hector nihil fecit! Iure atque merito Robert concludit in pristino carmine non Coonem, immo Hectorem, quem rem aliquam viro dignam facturum esse exspectamus, Graecorum principem vulnere affecisse.

Cum autem Coon suscipiebat Hectoris partes, declarare opus erat, cur non Hector Graeco viro resisteret. Eum enim valde desideraremus. Iridis nuntio comperimus, cur is, qui postea tantas res perficiat, hic non appareat. Si Coonem recentem esse putamus, nuntiam quoque e libro desecare debemus. Altera res cum altera artissime cohaeret. Equidem igitur crediderim (contra Robertum) ab eodem poeta, qui locum Coone usus retractavit, nuntium quoque Iridis insertum esse. Ab eodem versus compositi esse videntur 163—164, quibus Hector e pugna educitur. Antiquam autem partem 211—217 esse quodam iure dixerit quis. In eis enim Hectoris atque Agamemnonis certamen praeparari suspicor. Haud scio an totus locus iam ante eum retractatus sit, qui Iliadem nostram composuit. Nam Roberto assentiri cogimur rato 193—194 non bene congruere cum eis rebus, quae infra sequuntur (cf. Lachmann, l. l. p. 38). Quivis e versibus laudatis Hectorem semper superiorem usque ad naves Graecas progressurum esse atque sole occidente perventurum exspectat.

Cum Patrocli mortem tractaverimus, Euphorbum ad Hectoris gloriam minuendam inductum esse vidimus. Hic quoque homo

tertii vel quarti ordinis illius partes agit. Poetas Graecas dixerit quis consulto Hectoris gloriam detractavisse.

Duae igitur fabulae coniunctae sunt, pristina: Hector Agamemnonem vulnerat, altera: Coon id perficit. At ut difficultates imminentes, quas supra paucis verbis ostendimus, poeta effugeret, dea usus est. Videmus igitur poetas epicos non solum carmina a se aliena atque inter se discrepantia deis usos coniunxisse, sed etiam narrationes diversas de eodem argumento inventas. Cuius rei exemplum simile paragrapho disseram proxima.

2.

Etiam in altero loco disserendo Carolum Robert, virum doctissimum, sequimur (p. 234sq); agitur enim de versibus *Υ* 407—454. Manus conferunt Achilles et Polydorus, unus ex Priami filiis. Qui post certamen breve interficitur. Cum autem Hector fratrem viderit trucidatum, summo impletus dolore in Achillem invadit atque fratrem ulcisci studet. Ex eorum colloquio quivis concludet nunc esse certamen, quod diu nos quidem exspectamus, secuturum. At multum abest. Per Minervam atque Apollinem separantur: a Minerva hasta Hectoris ad ipsum revertitur, Hector ab Apolline multa circumdatus nebula e pugna portatur. Quem pristinum finem certaminis esse non posse auctor meus rectissime vidit. Olim sequebatur certamen singulare ipsum. Deorum res gestae insertae sunt. Duos deos, quorum unus, Minerva dea, paene supervacaneus est, adhibitos esse per sese offenderet. Praeterea invenimus versus, quos iam in locis prioribus legimus — totus fere finis ita compositus est —: 443b—444 = *Γ* 380b—381 (Venus pro Apolline) 445—447 ~ *Ε* 436—439 (conferas velim etiam versus *Π* 702sq et *Π* 784sq), versus denique 449—454 = *Λ* 362—367.

Cur poeta quidam deis usus finem pristinum mutaverit, haud difficile est intellectu. Exstat nobis his versibus altera *Ἕκτορος ἀναίρεσις*. Cum autem hoc fragmentum in nostram Iliadem insereretur, id mutare necesse fuit. Nam in nostra narratione Hector non in ipsa pugna, sed ante portas, ubi solus

reliquit, pro patria mortem occumbit. Similiter igitur fabulae diversae coniunctae sunt atque in exemplo prima paragrapho a nobis tractato.

Addam pauca verba de versibus 375—380, quos paulo ante hunc locum legimus. Nonne consulto is, qui nostram *Ἕκτορος ἀναίρεσιν* composuit, Hectorem tota pugna peracta ante portas Troianas de vita decedentem fecit? Tota urbe, patre et matre, utroque exercitu aspicientibus adversarii hasta perfoditur. Quod non satis intellexisse is mihi videtur, qui versus 375—380 composuit. Apollo deus Hectorem monet, ne solus ante ceteros cum Achille pugnet, sed ex multitudine eum exspectet. Revertitur igitur in suorum aciem dei voce perterritus. Res inaudita. Deus ipse Hectori ignaviam suadet! Versus compositi sunt, ut declararetur, cur Hector nondum inter exercituum pugnam manus conferat cum Achille.

3.

Denique traditi sunt in nostra Iliade loci quidam, e quibus intellegitur fabulam carminis cum altera aliis ex fontibus hausta coniungi. Primum exemplum legimus *Π* 419 sq[1]. Sarpedo progreditur contra Patroclum. 431—461 legimus, quomodo pater deorum hominumqne filium servare cupiat. In dubio est, utrum eum in Lyciam vivum transferat necne. At Iunone resistente illum necari sinit. Cum omnes tales res deorum sive in terra sive in caelo gestas tota fere Iliade perlustrata recentes esse probaverimus, hoc quoque deorum colloquium antiquum non esse concludere nobis licet. Praeterea versus artius cum pristino contextu conexi non sunt. Legimus enim 430

ὡς οἱ κεκλήγοντες ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρουσαν

sequitur 462

οἱ δ' ὅτε δὴ σχεδὸν ἦσαν ἐπ' ἀλλήλοισιν ἰόντες κτλ.

666—683 Iuppiter Sarpedonis corpus servandum curat per Apollinem atque Somnium Mortemque; hic locus cum altero artissime cohaeret. Priore causa nobis narratur, cur cadaver

[1]) Cf. Finsler, Olymp. Sc. p. 46/47.

modo Sarpedonis, non virum Iuppiter servaverit. (454—457 ~ 671—676 ~ 681—685). Iam Zenodotum partes Apollinis offenderunt, ut hoc addam (cf. Schol. Towleiana *Π* 667 *ἠθέτει Ζηνόδοτος, ἄτοπον γὰρ φησὶ τὸν ἀπενθῆ τοιαῦτα διακονεῖν*).

Cur poeta posterior 431—461 et 666—683 addiderit huic Iliadis libro, rectissime vidit Carolus Robert (Bild und Lied p. 118 (quem Niese quoque secutus est): Das *Σαρπηδόνειον* bei Xanthos bezeugt Appian (bell. civ. IV, 78, 79) gerade dieser Umstand, daß man in Lykien das Grab des Sarpedon besaß . . ." wird den ionischen Sänger zu der singulären Erfindung veranlaßt haben, daß Schlaf nnd Tod die Leiche des Sarpedon vom Schlachtfelde weg nach Lykien versetzen.

Sarpedonis fabula neque antiqua neque Troiana est. Proavus heros colebatur a gente principum Lyciorum. Cum autem eius mors, quam ante Troiam Patrocli manu occubuit narraretur, poeta quidam versus addidit, ut hanc fabulam cum ea sepulchri illius (*τύμβῳ τε στήλῃ τε*) in consensum redigeret. Quos addi opus fuit, cum Sarpedonis fabula in carmina epica recepta in principum Lyciorum aulis ab aoedis recitaretur.

4.

Alterum locum legimus *Η* 443—464[1]) Perfecto Graecorum muro, quo naves atque castra circumdantur, dei apud patrem deorum hominumque in Olympo sedentes opus aspectant. Neptunus autem veritus, ne gloria muri Troiani a se atque Apolline exstructi illo Graecorum opere minueretur ad Iovem de Graecis verba dicit iratissima. At hic concedit fratrem a Graecis campo Troiano relicto murum atque vallum omnino undis delere posse. Hoc quoque colloquium, non solum quod omnia colloquia Olympiaca recentia sunt, sed etiam quod libro *Μ* recentius esse videtur — id quod infra proferam — e libro desecari potest. Coniectura sane probabilis est id ea de causa insertum esse, ut declararetur, cur posteris temporibus, quibus poetae epici Troiam atque planitiem oculis aspectabant, nulla illius muri

[1]) cf. Finsler, Olymp. Sc. p. 26/27.

invenirentur vestigia. Respectantur igitur in nostra Iliade res, quae nobis carminibus epicis ipsis tradita non sunt.

Poeta quoque, qui initium libri *M* composuit, a deis Achaeorum murum deletum esse fingit aut, ut accuratius dicam, fluviis atque mari a superis rectis. Iam Zenodotus Aristophanes Aristarchus iudicaverant (cf. Schol. A ad *H* 443 *ἀθετοῦνται στίχοι κβ' ὅτι περὶ τῆς ἀναιρέσεως τοῦ τείχους λέγει πρὸ τῆς τειχομαχίας ὡς ἂν μὴ προειρηκὼς ἐνθάδε*) hoc loco de muri interitu ita dici, quasi libro H murus nondum commemoratus esset. Quae cum ita sint, deorum colloquium recentius est libro *M* (cf. B. Niese, l. l. p. 81) Haud scio an in illo componendo poeta ante oculos habuerit librum *M* (hecatombae!).

VII.

1.

In tota fere interpetranda Iliade dei inter homines apparentes recentibus attribuendi erant carminum epicorum poetis. Iure igitur concluditur omnino omnes deos rebus humanis sese ipsos immiscentes atque omnia colloquia olympiaca in antiquissimis Graecorum carminibus epicis non fuisse. Locos nunc a nobis nondum tractatos hac sententia usi interpretemur. Neque vero omittemus id addere, quod de deis ex ipsis locis intellegi potest. Atque non sine admiratione videbimus nostras sententias concordare cum coniecturis atque argumentis a viris doctis alia via et ratione inventis.

Unam deam adhuc nondum tractavimus: Thetidem, Pelei uxorem, matrem Achillis. Quae si re vera figura recens est, versus cadunt *A* 348b—430a. Pelides matri res adversas narrat. Ea autem ad Iovem sese ituram esse pollicetur filio atque patrem oraturam, ut Graecos tamdiu cladibus atque summis periculis vexet quam Achillis honos nondum ab Agamemnone restitutus sit. 493—611 Iuppiter in deorum concilio Thetidis precibus

aures praebet. Ad eandem opinionem — locos laudatos libri *A* pristinos non esse — pervenit etiam deorum novissimus criticus Finsler (Olymp. Scenen d. Ilias 6, Bittgang der Thetis p. 34—40), qui illos locos atque nonnullos alios versus alteri poetae attribuit. Quem poetam librum *A* (Achillis et Agamemnonis verborum certamen) exornasse. At multo ante huius libellum Lachmannus (l. l. p. 4, 6, 87) atque Brandtius (vide Jahrbücher für Philologie, 1885, p. 659sq) bene meruerunt de hac quaestione. Re vera enim versibus *Π* 236 et *Σ* 75 vestigia nobis exstant Achillem ad Iovem preces misisse auxilio matris non usum. Haud scio an Iuppiter in pristino libro versibus 528—530 voluntatem affirmaverit.

194sq Minerva Iunone auctore ad Achillem descendit, ut impediat, ne hic gladio in Graecorum principem, Agamemnonem, invehatur. Qui versus haud scio an in librum antiquiorem inserti sint. At de hac quaestione nondum certam opinionem proferre audeo (cf. Hentze, Anhang, ad hunc locum et Rothe, I. a. D. p. 151sq).

Post Patrocli mortem Thetis rursus apparet *Σ* 35—148a. Pollicita arma nova pro filio a Vulcano facienda sese curaturam esse filium summo amici mortis dolore commotum verbis consolatur dulcibus. Coniectura igitur probabilis redditur a viris doctis iam prolata. Olim Patroclus suis indutus armis profectus est, neque viri arma inter se mutaverunt neque Achilles divina a Vulcano perfecta habuit. Hic quoque alia vestigia initio libro *Σ* Thetidem recentem esse exstant. Inprimis enim Wilamowitzius (apud Finslerum, Homer p. 94) animadvertit Antilochum, qui Achillem de amici morte certiorem fecit, subito iam non commemorari. Patrocliae antiquae finis erat Antilochi nuntium. At narratio antiqua Thetide inducta desecta est. „An seine Stelle (Antilochi) tritt Thetis, inquit Finsler l. l., die notwendig wurde, weil es galt, das schöne Gedicht von der Schildbeschreibung, das bisher selbständig gewesen war, der Ilias einzuverleiben. Das konnte nur so geschehen, daß man dichtete, Achilles habe neue Waffen gebraucht, und daraus mußte weiter folgen, daß seine alte Rüstung verloren gegangen war. In der alten Patroklie war Patroklus mit eignen Waffen ausgezogen, jetzt wurde der

Waffentausch erfunden.“ (Conferas velim ad arma divina Achillis D. Mülder, Mus. Rhen. 59, *Ἕκτορος ἀναίρεσις*, p. 272 sq.)

Ceterum, ut hoc statim proferam, totius libri Σ non multi versus pristini esse possunt. 148—164 minime concordare cum fine libri *P* iam Lachmannus (p. 79) animadvertit. Nam *P* 722 sq status rerum hic est: Menelaus atque Meriones Patrocli corpus humo elatum *ὕψι μάλα μεγάλως* portant. Troiani in eos vi magna invadunt. At Aias uterque cadaver eosque, qui portant, fortissime tuentur ab Hectore et Aenea pertinaciter sequentibus. At Σ 148 sq hoc legimus: Hectore duce — ubi Aeneas mansit? — Troiani Graecos usque ad Hellespontum fugaverunt. Minime perspicuum est, ubi tandem tunc Troiani ipsi sint. Corpus iam non portatur a Menelao atque Merione — qui ne ipsi quidem commemorantur — sed humi iacet (cf. 152 *ἐρύσαντο*, 165 *εἴρυσσεν*, 174 *ἐρύσσασθαι*, 155 *ποδῶν λάβε*, 156, 176 *ἑλκέμεναι*) Aias uterque iam non ante cadaver pugnare videtur. Apparet igitur rerum statum omnino alium esse, attamen nullo loco legimus, cur atque quomodo mutatus sit. Versus quoque, qui hos sequuntur, a poeta recenti pristinae Patrocliae additi esse videntur. 168—202 Iris a Iunone clam missa Achillem de novo periculo amico mortuo imminenti certiorem facit atque admonet, ut ad vallum progressus voce terreat Troianos. Quod fit 203—242. Minerva, quae subito Achilli auxilio venit, eius caput flammis exornat atque vocis vim auget. Hi quoque versus, cum artissime conexi sint cum deae partibus, recentes putandi sunt. Iridis nuntio poeta effecit, ut Achilles eo tempore, quo res in discrimen veniret, utrum Hector Patrocli potiri posset necne, appareret atque cadaver servaret.

Locis prolatis versus Σ 356—368 addere debemus: Iovis et Iunonis colloquium de Iridis nuntio habitum. Restat igitur non ita multum huius libri, praesertim cum, sitne Troianorum contio 243—314a pristina, dubitari possit. Ceterum non omittam 311 Minervam commemorari.

T 1—39 traditum est memoriae, quomodo Thetis mater filio arma divina tradat. Simul Patrocli cadaver a pernicie tuetur. Fine huius libri rursus Minerva apparet 340—356a, quae patre auctore ad terram descendit, ut Achillem a fame tueatur. Nam is summo agitatus dolore neque edit neque bibit. Dea igitur ei in pectus nectar et ambrosiam inicit. Versus ceterum diu e libro critici eiecerunt. Narratio plures praebet difficultates graviores (cf. Hentze, Anhang VII, p. 21 sq): Achilles 310 sq in praetorio apud amicum versatur, 344 sq autem *προπάροιθε νεῶν* est. 310 sq (cf. 338—40) principes quidam apud eum sunt, 345 ceteri praeter Achillem ad coenam ierunt, 352 Graeci sese armant, 356 castra atque naves relinquunt, 364 subito Achilles inter populum arma induit. Narratio perturbata est. Deis inductis rerum contextus pristinus et integer deletus esse videtur.

2.

Θ 1—53, quibuscum artissime cohaerent versus 198—212, 350—484, clades Graeca, quae libris sequentibus exponitur, usque ad naves incensas aucta ad Iovis consilium revocatur. Denique pater deorum hominumque id, quod Thetidi promisit, efficere studet. Simul is, qui colloquia divina in hanc narrationem inseruit, causam adducere voluit, cur in libris *K Λ M* usque ad librum *N*, in quo Neptunus Graecorum adiutor exsistit, dei inter homines non appareant, contra Iuppiter saepissime commemoretur. Is est, qui rem regat eique omnes res gestae a poeta attribuantur.

In Achillis rebus gestis interpretandis de Scamandro ipso et de fine carminis singularis in librum *Y* inserti nondum diximus. Cum Scamander deus ipse appareat, tota narratio non ita antiqua esse potest, pristina forma quoque a nobis restituta. Quod autem pertinet ad finem illius certaminis inter Aeneam atque Achillem certati res ita sese habet. (*Y*) Iam critici antiqui eum vituperaverant. Res in discrimen venit: Achilles gladio, lapide maximo Aeneas in hostem irrumpit. 291 sq sequitur colloquium inter Neptunum et Iunonem, quo Aeneam servandum esse constituitur. 320 Neptunus in terra apparet, at hic rerum status nondum mutatus est: certamen nondum ad finem ductum est. Nonne unus alterum diu interficere potuit, dum dei colloquuntur? Quae difficultas optume declarari posse videtur, si in animo habemus apud Homerum saepius res, quae eodem fiant tempore,

in ipsa narratione unam post alteram enarrari. Quod optume disseruit Thaddaeus Zielinski in dissertatione „Die Behandlung gleichzeitiger Ereignisse i. ant. Epos“ inscripta, quam Philologo anni 1901 in lucem edidit. Dum viri pugnant atque unius mors imminet, dei rem deliberant; 320 rerum flumina, ut ita dicam, in unum confluunt. Finis pristinus est. Carmen igitur esse recentissimum, nisi ex aliis causis concluderemus — atque re vera viri docti collegissent —, attamen ex hoc carminis fine.

Denique huic capiti libros addam Iliadis *K Ψ Ω B*. In eis enim dei inter homines apparentes a cetera narratione disiungi non possunt! Libri igitur ipsi antiqui non sunt. Quam opinionem critici praeter librum *B* de ceteris supra laudatis aliis argumentis commoti diu protulerunt. In Dolonea Minerva 508 sq viros monet, ne longius et audacius in hostiam castra progrediantur. Apollo autem 515 sq Troianos e somno excitat (conferas velim etiam 274, 460 sq, 482, 571, 578). In libro *Ψ* versus legendi sunt 388 sq, 185 sq (382 sq, 865, 772, 774, cf. c. I, 2) 399, 660. Etiamsi paucis locis dei praesentiam proponere cogimur, tamen omnes, ne unum versum omittam, protuli. In ultimo denique Iliadis libro Mercurius 333 sq maximas partes agit. Atque 31 sq nonnulla deorum colloquia legimus. Iris, divina nuntia, atque Thetis, quae rursus filium convenit, denuo inducuntur. Horum trium librorum *K Ψ Ω* tempus hodie inter criticos haud scio an non in dubio sit. At novum est contionem Graecorum libro *B* memoriae traditam non ita antiquam esse, ni nos quidem magno errore decepti sumus. Nam in hac libri *B* parte bis Minerva Ulixis adiutrix existit 155—182, 279/80. Etiamsi quis illos versus e libro delere vellet, tamen permultum versibus 279/80 probaretur. Qui locus minime vituperandus Minervam deam ita praebet, ut in Odyssea multis locis legere potes.

Nunc priusquam ad caput ultimum accedamus, paucis quidem verbis de personis quibusdam dicere nobis liceat, in animo habeo *Ἔριδα* (cf. *Λ* 3), *ὄσσαν* (cf. *B* 93), *Δειμόν*, *Φόβον* (cf. *Δ* 440). Quae omnino non dei, veluti ceteri superi, immo res abstractae, ut hoc verbo utar, sunt, quas poeta ad descriptionem exornandam adhibet divina vel humana specie vestitas. Iure igitur in nostra

dissertatione negleguntur. Ceterum, cum tam raro occurrant, de eorum usu antiquo vel recenti vix quicquam dici poterit.

Percurrimus totam Iliadem neque quicquam ullius momenti nos neglexisse speramus. Nunc denique deorum scribere possumus historiam, quae spectet, quomodo superi antiquo et recenti tempore sese immiscuerint rebus humanis.

VIII.

Ex omnibus, quae adhuc disserui, sequitur antiquissimos epicos Graecos non fecisse deos inter homines apparentes. Superos autem omnino res humanas neglexisse neque poetas epicos in argumento enarrando, in hominum rebus adversis vel secundis describendis eorum rationem habuisse contendere non audeo. Pater enim deorum hominumque, qui quidem nunquam apud Homerum in terra apparet, ubique et in antiquioribus et recentioribus carminibus rerum rector a poeta pio habitus est. Praesertim conferas velim locos *Z* 159, *H* 202 sq, *Θ* 216, *Λ* 318, 336, 406, 544, *M* 402 sq, 68, 292 sq, 437, 450, *N* 783, *Π* 103, permultos versus libri *O* (cf. p. 36). Ceteros etiam deos, inprimis Minervam atque Apollinem, antiquissimis temporibus e longinquo amicum adiuvisse vel nocuisse hosti iam de ea causa veri est simillimum, quod poeta eadem elocutione apud res gestas et Iovis et ceterorum deorum utitur, cuius rei exempla totam per nostram disputationem dispersa legisti. Deinde nonnullis in locis talem commemorationem e libro difficile desecari posse atque pristinum esse disputavimus. Plerumque deus quidam uno versu adducitur: ictus felix aut infelix, hostis mors et amici salus ad deum breviter refertur.

Quae cum ita erant, Iuppiter quasi in coelo manebat, at ceteri dei a poeta in terram descendere cogebantur. Quomodo haec in singulis paulatim a poetis inventa sint, partim, quod quo tempore singula carmina epica facta sint, satis certe dici non potest, partim quod non satis multa memoriae prodita sunt,

oblivione obrutum est. Nonnullis in locis demonstrare conati eramus, quomodo e commemoratione sola dei maiores partes in terra praesentis factae essent. Addam nunc exemplum pulcherrimum.

Y 191 Achilleus:

ἔνθεν δ' ἐς Λυρνησσὸν ὑπέκφυγες· αὐτὰρ ἐγὼ τὴν
πέρσα μεθορμηθεὶς σὺν Ἀθήνῃ καὶ Διὶ πατρί,
ληιάδας δὲ γυναῖκας, ἐλεύθερον ἦμαρ ἀπούρας
ἦγον· ἀτὰρ δὲ Ζεὺς ἐρρύσατο καὶ θεοὶ ἄλλοι.

At in loco ad huius exemplum composito Minerva ipsa apparuisse videtur:

92: *πέρσε δὲ Λυρνησσὸν καὶ Πήδασον· αὐτὰρ ἐμὲ Ζεὺς*
εἰρύσαθ', ὅς μοι ἐπῶρσε μένος λαιψηρά τε γοῦνα
ἦ κ' ἐδάμην ὑπὸ χερσὶν Ἀχιλλῆος καὶ Ἀθήνης
ἥ οἱ πρόσθεν ἰοῦσα τίθει φάος ἠδὲ κέλευεν
ἔγχει χαλκείῳ Λέλεγας καὶ Τρῶας ἐναίρειν.

Fieri autem potuit, ut poetae epici, antequam in ipsis carminibus deos in terra agentes introducere auderent, tamen interdum tale quid factum esse populi fabulosi narrationes secuti sibi persuasum haberent. Sunt enim loci (veluti *H* 377, *Λ* 365 sq. *M* 466, *Π* 93 sq), quibus poeta deos hominibus apparere posse sententiam profert. At haec res in summo versatur dubio. Nam loci a nobis laudati compositi esse possunt, postquam poetae deos inter homines apparentes facere consueverunt.

Ne Iovem, deorum hominumque patrem, ad terram detraherent, ut ita dicam, poetae semper pietate quadam commoti veriti sunt. At ni fallor, vestigia proferri possunt non multum afuisse, ut ipse quoque veluti ceteri superi inter homines appareret. Nonne versus *O* 693 sq absente Iove paene comprehendi possunt?

ὣς Ἕκτωρ ἴθυσε νεὸς κυανοπρῴροιο
ἀντίος ἀίξας· τὸν δὲ Ζεὺς ὦσεν ὄπισθεν
χειρὶ μάλα μεγάλῃ, ὤτρυνε δὲ λαὸν ἅμ' αὐτῷ.

Deis inductis simul existunt colloquia Olympiaca ad superiorem causam rerum hominum atque deorum enarrandam

composita. Tunc talibus narrationibus poetae recentes utuntur ad argumenta antiqua mutanda et retractanda atque ad carmina a se aliena ad novum opus coniungenda. Paridis de nece Achillis, de Patrocli meritum Hectoris minuitur, Diomedis magnitudo augetur, Aeneas atque Hector a morte maturiore ad novas res servantur, singula certamina ad pugnam primi diei coniunguntur, clades et victoriae Graecorum Troianorumque ad pugnam de castris et navibus certatam. Etiamsi is, qui Iliadem certo artificis consilio usus composuit, saepissime atque, id quod negari non potest, sollertia quadam instrumentum adhibet, attamen id certe non invenit. Paulatim a poetis epicis adhibitum ei traditum est. Atque re vera locus *Λ* 193—194 antea retractatus esse videtur. Cum interdum non ita facile fuerit argumentum antiquum mutare — poetae ceterum semper veriti esse videntur nimis carmen sibi traditum mutilare — auxilio vocant miraculum. Deus virum multa nebula circumdatum e periculo fert. Paris (*Γ*), Aeneas (*E*) Hector (*Y*) ita servantur. Cuius miraculi origo mea quidem sententia ex exemplis duobus nobis proditis perspici potest. Conferas velim *E* 20 sq et *Λ* 362 sq.

Ἰδαῖος δ' ἀπόρουσε λιπὼν περικαλλέα δίφρον
οὐδ' ἔτλη περιβῆναι ἀδελφειοῦ κταμένοιο
οὐδὲ γὰρ οὐδέ κεν αὐτὸς ὑπέκφυγε κῆρα μέλαιναν
ἀλλ' Ἥφαιστος ἔρυτο, σάωσε δὲ νυκτὶ καλύψας.

Idaeus igitur fratre felicior a Diomede non necatur, sed sese servare potest. Quod poeta ad noctem a Neptuno effectam refert. At re vera rem non ita miram fuisse comperimus e versibus, qui sequuntur:

Τρῶες δὲ μεγάθυμοι, ἐπεὶ ἴδον υἷε Δάρητος
τὸν μὲν ἀλευάμενον, τὸν δὲ κτάμενον παρ' ὄχεσφιν
πᾶσιν ὀρίνθη θυμός.

Alter autem locus:

Λ 356: *ὄφρα δὲ Τυδείδης μετὰ δούρατος ᾤχετ' ἐρωήν*
τῆλε διὰ προμάχων, ὅθι οἱ καταείσατο γαίης
τόφρ' Ἕκτωρ ἄμπνυτο, καὶ ἄψ ἐς δίφρον ὀρούσας
ἐξέλασ' εἰς πληθὺν καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν.

Ita res sese habuit. At Diomedes, iratissimus ut est, exclamat:

363: *νῦν αὖτε σ' ἐρύσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.*

In utroque loco vir ex naturae legibus servatur, at ad dei cuiusdam auxilium salus refertur.

Nonne tunc audacius fuit deum ipsum inducere virum e periculo portantem? Haud scio an hic quoque populi fabulae et narrationes in carmina epica receptae sint. Graeci enim ex antiquissimis temporibus hominem dei cuiusdam vi subito ex oculis evanescere posse crediderunt. Cuius rei exempla plura Erwinus Rohde in libro, qui inscriptus est Psyche, egregie tractavit. Si quid video, omnino fabulae epicae cum eis coniungendae sunt, quae alia via de his quaestionibus nobis tradita sunt.

Paulatim poetae posteriores deis uti consueverunt: tunc saepissime superi occurunt. At eorum res gestae non ita magni momenti sunt; ad minimas nugas efficiendas deus inducitur. Eum commemorare in dictionem epicam recipitur, ut ita dicam. Neque vero e longinquo Apollo vel Minerva rebus humanis sese immiscet, sed semper iam adest. Cuius rei in Iliade non multa leguntur exempla, at in animum revoces velim Minervae partes totam per Odysseam actas, praesertim in Ithaca insula ipsa (conferas velim *Ω*, *K* 507—512, 515—519, *B* 155—182, inprimis 278—280):

ὥς φάσαν ἡ πληθύς· ἀνὰ δ' ὁ πτολίπορθος Ὀδυσσεὺς.
ἔστη σκῆπτρον ἔχων· παρὰ δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη
εἰδομένη κήρυκι σιωπᾶν λαὸν ἀνώγειν. κτλ.

Iliade disserta nunc nostrum est, etiamsi non hic, attamen altera dissertatione Odysseam quoque percurrere; neque dubitamus, quin de deis in Odyssea apparentibus ad easdem opiniones perventuri simus, quas supra protulimus.

Quod non sufficeret. Nos quidem consulto deos ipsos non tractavimus. Omnino neglexisimus, qua specie induti, utrum

hominis cuiusdam an deorum[1]), dei apparuerint, quid fecerint atque qua causa commoti sese immiscuerint, quos viros adiuverint etc. Unum quidem, quomodo et antiquis et recentibus temporibus superi sese immiscuerint rebus humanis, satis probabiliter demonstravisse speramus. Fortasse fieri potest, ut hoc fundamento nisi historiam deorum Homericorum universam componamus.

[1]) Qua de re iam egit Paulus Cauer, Grundfragen der Homerkritik[2] p. 330sq. At omnia, quae profert, parum ex carminum ipsorum interpretatione hausta esse mihi quidem videntur. Hunc vel illum locum recentem aut antiquum esse non alia via perspicimus nisi quaerendo, quomodo narratio universa sese habeat. Uno libro cum altero comparato demum de singulis versibus dici potest.

Vita.

Natus sum Julius Tuisko Reibstein anno 1888 a. d. VIII. Kal. Jul. Schaerbeekii, in vico prope Bruxellas sito, patre Tuiskone matre Maria e gente Hartisch. Parentes superesse gaudeo. Civis sum Saxonicus. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus Gymnasium frequentavi regium Dresdense, quod florebat Wohlrabio rectore, floret Friderico. Vere anni 1907 maturitatis testimonium adeptus universitatem litterarum Halensem adii. Ibi per tria semestria fui. Deinde Lipsiae inscriptus sum. Non solum versatus sum in linguis antiquis, sed etiam in historia et philosophia. Seminarii philologici per unum annum sodalis fui ordinarius auspiciis Lipsii Bethei Heinzii. Docuerunt me viri doctissimi Bechtel, Busse †, Brode, Consbruch, Droysen †, Hasenclever, Ihm †, Kern, Lindner, Niese, Robert, Uphues, Wissowa Halenses; Barth, Bethe, Brandenburg, Brugmann, Gardthausen, Heinze, Hirt, Jungmann, Lamprecht, Lipsius, Martini, Meister, Meumann, Salomon, Seeliger, Wilcken, Wundt Lipsienses. Quibus cunctis doctis viris gratias nunc ago quam maximas, inprimis Erico Bethe, qui egregie meritus est de hoc libello.